

inconveniēti obviare per jam dictam quintam conditionem. Posito enim, quod veritatis & certitudinis conditionum discussio, non ad proprium iudicium compensantis, sed alterius viri prudentis partium liberi referatur, non est, curtimeatur ex nostra sententia, ne propter cupiditatem compensantium via furtis aperiatur. Et hoc experientia constat. Nostra enim sententia passim traditur, & ad praxim reduciuntur, necdum tamen inde videmus eversum bonum commune & perturbatas Respublicas.

Inst. Chartusianus, in periculo mortis positus, non potest manducare carnes, dum adsunt alii cibi, etiamsi, non ipse, sed medicus iudicet carnes esse necessarias; non quod manducare carnes sit tunc contra intrinsecam Legis; sed quod si semel permitteretur in tali necessitate, facile salutaris illius Ordinis rigor relaxaretur: ergo similiter in nostro casu. R. 1. Non constare esum carniū in tali casu non esse contra intrinsecam Legis respectu Chartusiani. Quia, licet Leges humane regulariter loquendo non obligent eum dispendio vitæ, contrarium tamen potest contingere, dum nempe quis sponte hanc obligationem suscipit: hanc autem videtur sponte suscipere Chartusianus, dum profitetur Religionem, in qua scilicet servari rigorem. Et hæc est prima disparitas. R. 2. Altera disparitas est, quod causæ & qualitates morborum sint occultæ, & ipsis etiam medicis sæpe impervix, proindeque ipsis non constare certò, an morbus sit ad mortem, vel non; an carnes sint simpliciter necessariae, vel non; & cum aliunde noscantur plerumquæ indulgentiores in hac parte, sequitur, quod, si semel permitteretur Chartusiani esus carniū in reputato periculo mortis, passim fingerentur talia pericula, & inde salutaris rigor istius Ordinis relaxaretur. At verò in nostro casu non est ita difficile dignoscere, an certum sit esse meam rem, quam alter detinet, aut meum debitum esse liquidum; si enim a certitudine deficiat, non admittimus compensationem: item an possit, vel non possit res obtineri via Juris, & sic de cæteris conditionibus: Itæ, inquam, licet forte ipse compensans propria cupiditate ductus non possit ita facile, ac integrè iudicare, poterit tamen alter tertius partium liber, ideoque ex compensatione sic facta nullo bono communi periculum imminet. Hanc sanè disparitatem sensibiliter etiam probat ipsa experientia: ex nostra enim sententia, ut jam observavi, nullum hæc usque videmus sequi grave detrimentum boni communis. At verò ex esu carniū permissio sub pretextu morbi periculosi videmus in variis Religionibus salutare abstinentiæ rigorem relaxatum.

Obj. 3. cum Iidem. Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *Famuli, ac famule domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam, quam majorem iudicant salario, quod recipiunt.* Est 37; atqui tamen circa illos, non secus, ac circa alios, possunt concurrere omnes conditiones, quas requirimus ad compensationes licitas: ergo. R. Hanc propositionem esse damnatam, 1. quia est indefinita & universalis, comprehendens casus, in quibus certò non licet domesticis compensatio occultæ; puta, si sponte convenerit de stipendio, juxta parabolam de laborantibus in vinea Matth. 10. 2. Quia constituit iudices in propria causa ipsos domesticos regulariter ineptos ad tale iudicium, & lucri nimium avidos. Unde sistendo in terminis propositionis damnatæ neganda est minor. Cæterum, si revera erga domesticos occurrerent omnes conditiones requisitæ ad licitam compensationem, non foret ipsis magis prohibita, quam aliis, v. gr. si herus inique retiperet partem stipendii conventi, & cætera adsint.

Petes, utrum famuli & famule (idem est de mercenariis) possint uti compensatione occultâ, si necessitate coacti convenerint de minore stipendio? R. negativè. Quia forte, aut dominus non ita indigebat illorum opera, aut nolisset acceptare majore stipendio, aut alios reperisset, qui æquali stipendio inservissent, aut laborassent. Adde, quod, sicut mercus, ita & operæ ultroneæ vilescant, & tam famuli, quam mercenarii sunt ita comparati, ut semper existant se infra meritum stipendia accipere. Sed & graviter sunt culpandi domini, qui famulorum, aut mercenariorum opera verè indigentes illos necessitate coactos minus justo stipendio conducunt: hoc est enim fraudare saltè pro parte operariorum mercedem, quod est peccatum in oculum clamans.

Obj. 4. S. August. Libr. 22. contra Faustum c. 74. loquens

de spoliatione Ægyptiorum, facta jubente Deo per Hebræos, dicit: *Quod tamen si Moyses sponte sua iussisset, aut Hebræi sponte sua fecissent, profectò peccassent; atqui, si compensatio esset licita, maxime in hoc casu: ergo. Prob. minor: certò debebatur merces Hebræis pro tot, ac tam duris laboribus, quibus eos vexaverant Ægyptii, juxta illud Sap. Deus reddidit justis mercedem laborum suorum; nec eam poterant obtinere via Juris: ergo. R. N. min. ad prob. D. Certò debebatur Hebræis merces ab his, qui eos duris laboribus vexaverant, nimirum a Pharaone & operum præfectis, C. ab his, a quibus surripiebant vasa, N. Ea enim juxta Scripturam surripuerant ab amicis & vicinis, qui in nullo eos vexaverant, & qui proinde nihil ipsis debebant. Nisi ergo Deus dedisset mercedem, quam equidem merebantur, peccassent eam accipiendo ab illis, qui illam non debebant.*

Obj. 5. Nemo potest auctoritate privata ulcisci propriam injuriam, etiamsi non possit obtinere satisfactionem a Iudice: ergo nec rem suam occulte recuperare. R. N. Conseq. Quia vindicta auctoritate privata est semper illicita: recuperatio verò rei suæ non est vindicta.

Ex his inferit 1. Sylvius post Navarr. Lessium & alios, quod, si feratur excommunicatio in eos, qui vel res surripuerunt, vel scientes non revelant, non comprehenduntur is, qui rem suam, aut debitum recuperavit, neque id scientes; tunc quia excommunicatio major non ligat nisi eam, qui peccat moraliter; tunc quia nemo tenetur se, vel alium innocentem prodere ad damnatum suum. Hoc etiam verum reputat Lessius, quamvis recuperans peccaverit in modo accipiendi, puta, quia poterat rem suam recuperare via Juris: quia etsi peccaverit accipiendo, non peccat tamen detinendo, nec tenetur restituere: Episcopus autem ferendo excommunicationem tantum intendit cogere injustum detentorem ad restitutionem. Inferit 2. idem Sylvius, quod si, qui rem suam, aut debitum licite recuperavit, interrogetur a Iudice, an sciat, quis accepit, possit respondere, se nescire; quia Iudex interrogat de injusta acceptione, qui autem interrogatur, neminem scit injustè accepisse. Addit, id etiam verum esse, quamvis forte peccaverit in modo accipiendi, quandoquidem non peccaverit per hoc, quod accepit, neque peccet in iure detinendo, ut jam modo dicebam ex Lessio. Iudex autem solum intendit, ut intendere debet scire, & punire injustum detentorem.

Hæc usque de compensationibus occultis; sed quid de manifestis? Quidam ex illis, qui tenent occultas esse illicitas, permittunt manifestas: quia, inquit, non peccatur in hoc contra ordinem Juris. Si enim Petrus contendat me inique agere, poterit me via Juris aggredi: nec iudicium mihi usurpo; cum enim rem Petri detineam in conspectu orbis, iudicium Petro relinquo; quo, si possit, ipsi liberum est me ex possessione talis rei deturbare. Ita Doctor Daelman.

R. Sub distinctione. 1. Recuperare manifestè rem suam in flagranti furtivæ actionis, aut quando nondum est in tuto loco reposita, licitum est; quia id habet rationem iustæ defensionis. 2. Recuperare manifestè rem suam adhuc in specie extantem, etiam postquam ablata est & in tuto reposita, vi moderata adhibita, non videtur illicitum, saltè moderatè. 1. quia usu receptum est, ut ubique quis rem suam invenit, eam accipiat. 2. Quia relinquatur locus iudici, ut dictum est. Quod si contendat, nihilominus hic esse aliquam præmissionem ordinis Juris, dum quis primo rem suam occupat, incensulto iudice; hoc dato, hæc inordinatio non videtur gravis, cum relinquatur locus iudici, & ideo dixi talem compensationem non videri illicitam saltè moderatè. Dixi: *vi moderata adhibita*, ex qua scilicet non sequatur mors, vulneratio, grave scadalum, aut Reipublice perturbatio, licet forte sequatur furis ipsius, aut ejus familie quædam turbatio. 3. Recuperare manifestè simplex debitum non licet: 1. quia id fieri non potest absque scandalo; & qui sic ageret, haberetur fur, & ut talis puniretur in foro externo. 2. quia non est dominus rei, quam vult surripere in compensationem sui debiti, unde alter habet jus resistendi.

Quæ spectant obligationem restituendi ex furto, abundè discussa sunt, dum de Restitutione in genere: require ibi.

## DISSERTATIO XII. DE INJUSTITIA JUDICIS.

Div. Thom. Quæst. 67.

Postquam egimus (Q. 67. in Proem.) de vitii oppositis iustitiæ commutativæ, per quæ factò leditur proximus in persona, & in rebus exterioribus, restat agendum de vitii, per quæ leditur verbis, & primo de nocentibus verborum, quæ fiunt in iudicio: Secundo de iis, quæ fiunt extra iudicium. Circa primum quinque consideranda occurrunt. (Ibid.) 1. De injustitia Judicis in iudicando. 2. De injustitia Accusatoris in accusando. 3. De injustitia Testis in testificando. 4. De injustitia Rei in sua defensione. 5. De injustitia Advocati in patrocinando: de quibus suo ordine.

### ARTICULUS I.

Utrum quis possit iudicare eum, qui non est sibi subditus?

Suppono ex Dissert. 7. iudicium esse actum virtutis Iustitiæ, proindeque licitum. Suppono item ex eodem loco, Iudicem existentem in peccato publico peccare iudicando; secus, si sit peccator occultus. Require loco cit. Suppono iterum ex q. 60. a. 5. o. D. Thomæ, Iudicem ordinariè debere iudicare secundum Leges scriptas. Quia leges scribuntur, vel ut declarent Jus naturale, vel ut instituant Jus positivum: ergo, si iudicium non feratur secundum Leges scriptas, deficiat a Jure naturali, vel positivo, sique erit injustum. Unde Iudex communiter definitur: *Persona publica ad hoc instituta, ut sibi subditis Jus dicat secundum Legem præscriptam.* Per Legem intellige etiam consuetudinem vim Legis habentem. Potest tamen supremus Iudex subsistere legitima causa in Legem humanam dispensare, vel eam abrogare, quod non potest inferior. Dico *subsistente iustitia causa*; quia id non potest pro libito, maxime in præiudicium tertii, cum sit æquitas naturalis, ut, quod quis observari præcipit, ipse observet. Unde Aug. de vera Religione, loquens de Legibus humanis dicit: *Quamquam de his homines iudicent, cum eas instituant; tamen cum fuerint instituta, non licebit Judici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.*

Dixi: *ordinariè*: (Q. 60. a. 5. ad 1. & 2.) Quia, si Lex humana ferat contra Jus naturale, non licet iudicare secundum illam, cum tunc esset injusta. Item, si secundum se esset iusta, sed in aliquo casu vergeret in detrimentum boni communis, aut esset contra intentionem Legislatoris, ita quod si adesset Legislator, iudicaret aliter, quam ferant verba Legis; nunc non est iudicandum secundum verba Legis, sed secundum intentionem Legislatoris per Episcopiam; cum hac distinctione, quod, si certò constet aliam esse mentem Legislatoris a verbis Legis, nec voluisse hunc casum comprehendere, non sit necesse ad ipsum recurrere; etiam si res ferat moram; quia in manifestis non est opus interpretatione, sed executione. (Infra q. 120. a. 1. ad 3.) Si verò id non constet, sed tamen est probabilis, consulti debet Legislator, si res ferat moram; si non ferat, licet per Episcopiam, ut dixi, ipso inconsulto agere contra verba Legis. Si tandem sit æquale dubium, nec possit consulti Superior, agendum est secundum verba Legis; quia in audio Lex possidet.

Nunc ad questionem nota (Hic q. 67. a. 1. c.) duplici modo aliquem posse alteri subijci, vel per potestatem ordinariam, vel per commissionem, seu delegationem. Iudex ordinarius dicitur, qui ex officio præest universitati causarum, sive proprio jure, ut Summ. Pontifex respectu omnium fidelium, Episcopus respectu Dioecesanorum, Rex respectu Civium; sive ex beneficio, & collatione Principis, ut Præses, Ballivus, Præpositus, &c. Iudex delegatus est is, cui Iudex ordinarius per simplicem commissionem committit vices suas, sive ad universitatem causarum, sive ad hanc specialem causam; & iste non potest delegare, nisi sit delegatus Summ. Pontificis. Ad hunc modum reduciuntur alii duo: (Ibid. ad 2.) unus ex consensu partium per compromissionem in arbitros, quorum arbitrium debet pœna vallari; quia, licet supposito consensu partium

potestas ipsis committatur a Jure l. 1. & 6. Decretal. per varia capita, non ea tamen, qua possint partes compellere ad sententiæ executionem, unde debet apponi pœna, qua compellantur. (Ibid. ad 3.) Alter est ratio vel delicti, vel contractus, vel rei, de qua agitur: ex Jure c. Licet 2. Extra. l. 2. tit. 2.

Dico: Nullus potest iudicare alium, nisi sit aliquo modo subditus ejus. (Ib. o.) Prob. (Ib.) Sententia Judicis est quasi quædam particularis Lex in aliquo particulari facto; & ideo, sicut Lex generalis debet habere vim coactivam, ita etiam sententia Judicis debet habere vim coactivam, per quam constringatur utraque pars ad servandam sententiam Judicis, alioquin iudicium non esset efficax; atqui potestatem coactivam non habet licitè in rebus humanis, nisi ille, qui fungitur publica potestate, & qui ea fungitur, Superiores reputantur respectu eorum, in quos sicut in subditos potestatem accipiunt, sive habeant ordinariam, sive per commissionem: ergo. Unde Alex. III. C. Etsi Clerici de iudiciis dicit: *Sententia, a non suo Iudice lata, non tenet.* Et Zepherinus Causa 3. q. 8. c. Accusatores: *Nullum Sententia a non suo Iudice constringat.*

Hoc autem iudicium in non subditum latum dicitur iudicium usurpatum; & est ex genere suo peccatum mortale, cum secundum se gravem injuriam faciat tam partibus litigantibus, quam Superiori, cujus usurpat auctoritatem. Hæc usurpatio iudicis peccavit Pilatus, dum Christum omnium Dominum, nec illi, nec Cesari subditum, iudicavit. Neque obstat, quod Christus dixerit Pilato: *Non haberes potestatem acterius me ullam, nisi tibi data esset a superioribus;* nec quod dicit S. Th. hic ad 2. quod *Christus propria sponte humano iudicio se subdidit*: non enim his significatur, Pilatum accepisse potestatem superioritatis iudicandi Christum, sed potestatem fieri tantum, seu non impeditionem; quo sensu prius dixerat Christus militibus: *Hæc est hora vestra, & potestas tenenturam*; quasi diceret: hæc est hora a Patre constituta, qua sinit, vos me capere.

Hujus etiam criminis rei sunt Iudices sæculares, qui sive in criminalibus, sive in civilibus pertrahunt ad sua Tribunalia, quæ non sunt mixti fori, Clericos, quos iudicandi non habent potestatem, ut constat ex Trid. sess. 25. de Ref. c. 20. Ex cap. Si diligenti Extra. l. 2. tit. 2. de foro competentis, & ex dist. 96. ubi inter cætera C. Denique sic loquitur Nicolaus Papa ad Michaëlem Imperatorem: *Quibus tantum humanis rebus, & non divinis, præesse permittimus est; quomodo de his, per quas divina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus.* Non quod Clerici non possint ut actor pertrahere Laicum coram Iudice sæculari; sed quod non possint pertrahi ut reus, seu defensor: & hinc privilegio cedere non potest: Cum, ut dicitur cit. cap. Si diligenti, non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valet, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. Neque etiam hujus peccati reatum evadunt Episcopi, qui Religiosos exemptos iudicare, eorumque causas discutere præsumunt in his, in quibus Concilium Trid. eos non subijcit eorum jurisdictioni.

Petes 1. Utrum Iudex excommunicatus ferendo sententiam peccet usurpatione iudicis, & sententia ejus sit irrita? R. 1. Iudex excommunicatus occultè ferendo sententiam, non peccat usurpatione iudicis, neque sententiæ; cætera que ejus acta sunt valida. Est communis Ratio est: 1. Quia excommunicatio occulta non privat, aut suspendit ab officio, ut colligitur ex cap. Ad prohibendum Extra. l. 2. t. 27. De sententiis, & re iudicata. Ubi decernitur, cassandam esse sententiam; *Si unus ex delegatis Iudicibus excommunicationis vinculo esset publice innodatus.* Ex quo inferunt Canonistæ a contrario sensu, non esse cassandam, si sit occultè excommunicatus. 2. Quia, si acta occultè excommunicati essent invalida, cum hæc excommunicatio lateat, sequerentur gravissima inconvenientia, nimirum innumeræ sententiæ, absolutiones, condemnationes, presentationes, collationes, electiones, alique similes actus essent nulli, deberentque rescindi cum maxima Reipublice perturbatione, &



& Innocentium detrimendo. Unde, ut his obviatur, communiter docent Theologi, dato etiam per excommunicationem occultam Judicem privati, aut suspensi ab officio, nihilominus Republicam, sive Ecclesiam conferre illi jurisdictionem sufficientem ad singulos actus, atque eos approbare, id exigente bono communi. Si tamen non rogatus, aut absque aliqua rationabili causa se in iudicium ingerat, peccavit, non quidem usurpatione iudicii, sed contra preceptum Ecclesie vetantis ipsi communicationem cum Fidelibus.

R. 2. Iudex publice excommunicatus, attentio Jure antiquo, peccat usurpatione iudicii ferendo sententiam, hæcque ejus sententia, ac cætera acta sunt irrita; at Jure novo, neque peccat usurpatione iudicii, neque ejus acta sunt irrita, nisi sit nominatim excommunicatus, aut notorius percussor Clerici. Prima pars prob. ex cap. cit. Ad probandum, in quo jubetur cassari, id est, juxta Glossam declarari cassatam sententiam latam a Iudice publice excommunicato, ex quo inferunt Doctores cum Glossa, publice excommunicatos privari, non quidem officio, illud enim retinent quoad habitum, sed ab ejus usu, atque ab ejus executione suspendi; potestas autem suspensa, perinde est ac si non esset. Secunda pars prob. ex Bulla, Ad evitanda scandala, relata in actis Concilii Basiliensis sess. 20. editio. Venet. 1585, apud Dominicum Nicolinum, item a S. Antonino 3. p. tit. 25. cap. 2. a Soto in 4. dist. 22. q. 1. a. 4. & alii; in qua Concilium statuit, solos nominatim excommunicatos, aut notorios percussores Clericorum esse vitandos; conceditque Fidelibus, ut cum omnibus aliis excommunicatis possint communicare in omnibus, consequenter intendit eorum actus esse validos; ut quid enim concederet, nos posse ab illis iudicium, & alios actus excipere, si sint invalidi; illud forsitan hæc concessio, & fidelium deceptiva cum illorum damno. Quia tamen Concilium non intendit illos publice excommunicatos in aliquo relevare, ut habet expressè ibidem, peccant, & quidem probabiliter mortaliter ex genere suo, si non rogati, aut non urgente aliqua rationabili causa se iudicium, aut alii actibus immisceant; non equidem, ut jam dixi, usurpatione iudicii, sed contra Ecclesie preceptum vetans illis tales actus, nisi quatenus necessarii sunt in commodum aliorum, imò, quamvis fideles possint illos ut Iudices admittere, non tenentur tamen, sed possunt contra illos excipere, quod sint excommunicati; quia, licet Concilium permittat jus ab illis petere, non tamen cogit; unde mine, sicut olim, possunt recusari. Excepi Nominatim excommunicatos, & notorios percussores Clericorum; quia Concilium illos excludit a sua indulgentia unde manet circa eos dispositio Juris, sicut erat ante Concilium.

Petes 2. utrum Iudex, qui ob crimen ipso jure est privatus suo officio, ferendo sententiam peccet usurpatione iudicii, & acta ejus sint irrita? R. Non peccare usurpatione iudicii, nec acta ejus esse irrita. Quia leges humane importantes poenas, etiam privativas (excipe censuras) non obligant ante sententiam Iudicis declaratoriam criminis; sic enim usu recepte sunt, nisi aperte constet aliam fuisse mentem Legislatoris, ut si in lege adderetur: Teneat in conscientia dimittere; non posse absolvi, nisi dimittat; officium ita vacare, ut liberum sit alteri conferre, ut c. Dudum 2. De electione in causa Apostolicis Beneficiis incompatibilibus. Ita tenent Cajet. q. 62. a. 3. Soto libr. 1. de Justit. q. 6. a. 7. Adrianus, Covarruvias, Lessius, & alii, & favet S. Th. cit. q. 62. a. 3. o. Confirmatur ab inconvenienti vel crimen est occultum, vel, si sit publicum, non constat reum per legem esse officio privatum: ergo si acta ejus essent irrita, sequerentur eadem inconvenientia, quæ diximus sequutura, si acta excommunicati occultè essent irrita.

Si petas, quem ergo sensum, ut quam vim habent hæc verba: Ipso jure, ipso facto, absque ulla declaratione? R. Habere hunc sensum, seu hanc vim, ut privent talem officio quoad titulum, seu quoad jus illud firmum, quod accipit per collationem, & quo non poterat invitus privati: retinet tamen possessionem officii, & totius jurisdictionis, quam ante habebat: sicut, dum alicujus bona propter crimen admissum, puta propter hæresim, ipso facto addicuntur fisco, amittit proprietatem bonorum: permittitur tamen ipsi possessio, & usus, donec per sententiam criminis declaratoriam auferantur. Plura, dum de Legibus.

Petes 3. Utrum acta Iudicis, alteriusve, qui non habet nisi titulum putativum, seu coloratum, sint valida? R. Affirmative, si titulo colorato conjunctus sit ex parte populi error communis, quod sit Superior, quod sit Iudex, &c. & Republica, seu Ecclesia possit supplere defectum. Ita L. Barbarius ff. De officio Praetoris. Ubi refertur, quod iste Barbarus, cum esset conditione servus, & hac ratione incapax officii Praetoris, istud tamen officium Romæ, ubi ig-

norabatur ejus servitus, petiit & obtinuit, ejusque acta quoad latum ejus servitus, declarantur valida ob utilitatem eorum, qui apud ipsam egerant. Et causa 3. q. 7. c. 1. dicitur: Si servus, dum putaretur liber, ex deligantione sententiam daret, quatenus postea in servitute deprehensus sit, sententia ab eo dicta vel iudicata firmitatem habet. Ita tenent Palud. Navarr. Medina, Aragon, Lessius, & alii communiter. Ratio est; quia alicui sequerentur, non secus ac in precedentibus casibus gravissima inconvenientia, quæ vitari non possent, cum variè sententia, ab- solutiones, electiones, presentationes, institutiones essent nullæ, & deberent rescindi, resque ab ovo resumi cum magna Republicæ perturbatione, & gravi tam boni communis, quam particularium detrimento. Et ideo, ut dixi in precedentibus, Republica, vel Ecclesia conferat talibus jurisdictionem necessariam ad singulos actus. Idque verum videtur propter eandem rationem, si titulus esset fictus, aut etiam nullus, modo sit error communis: quia posito errore communi, etiam sine titulo, aut cum ficto, quod talis sit Superior, aut habeat jurisdictionem, si reverà non habeat, & acta ejus sint invalida, sequuntur omnino eadem inconvenientia, quibus obviari non est possibile. Id saltem est probabile, & non pauci tenent, de quo forte fusiùs, alibi dixi: Si Republica, vel Ecclesia possit supplere defectum, seu tollere impedimentum. Quia, si impedimentum esset Juris naturalis, aut divini, quod tollere non potest Republica, vel Ecclesia, nihil juvaret error communis etiam cum titulo colorato, omniaque acta ferentur invalida: ut si femina, vel non Sacerdos haberetur communiter pro Parocho, etiam cum titulo colorato, nulla forent ejus ab solutiones: quia talem defectum supplere non potest humana potestas.

Nota bene. Hæc, quæ dixi in tribus precedentibus Responsionibus, intelligenda sunt etiam de foro sacramentali; quia, rationes aliter eque pro illo militant, ac pro foro externo sive Civili, sive Ecclesiastico, de quo iterum, dum de Pœnitentiâ.

Ex dictis colliges 1. acta illius, qui Officium, vel Beneficium Pastorale suscepit cum impedimento occulto, puta simoniacè, vel in excommunicatione occulta, ratione cuius irrita est collatio, hujus, inquam, acta, ab solutiones, sententias, institutiones, collationes, &c. esse valida. Quod etiam verum est, inquit Lessius, quamvis ii, quorum interest, impedimentum sciunt; quia hæc jurisdictio conceditur generatim propter errorem communem, unde privativa scientia illam non impedit. 2. Acta illius, cui jurisdictio occultè ablata est, & ipse tamen se gerit pro habente jurisdictionem, communiter errore reputatur talis, valida sunt. Unde valet absolutio collata ab eo, cujus jurisdictione ad tempus collata finita est, aut est revocata occultè, dum se pro Confessario gerit, ut ante. 3. Inferre eum, qui agit vi tituli colorati, quem bona fide putat esse verum, non solum validè agere, sed nec peccare usurpatione iudicii. Qui autem scienter agit vi tituli colorati, peccat usurpatione iudicii; quia quantum in ipso est, usurpat auctoritatem, quam non habet: valet tamen ejus acta, quia dum id attentat, Republica, vel Ecclesia extraordinariè illi confert in ipso actu jurisdictionem ob commune bonum, ut dictum est.

Petes 4. Utrum sententia, ac Leges late a Tyranno obligent? Intellego Tyrannum usurpatione Regni, non usu Regiminis; hujus enim Sententias, ac Leges justas obligare, indubium est. R. Leges, ac Sententia justæ Tyranni, qui jam Regnum invasit, & non resistente amplius Republica, imperat, verosimiliter sunt validæ, & obligant non præcisè quatenus emanant a Tyranno, ut talis enim nullam habet auctoritatem, sed quatenus sunt interpretativè a Republica, quæ eas approbat, & Tyranno auctoritatem confert, in quantum est necessarium bono communi; si enim in hoc stant oppressio nulla forent Leges, nullæ Sententia valerent, coerceri non possent malefactorum, sique Republica criminum multiplicatione in pejus rueret. Ita Victoria, & post ipsum Sylvius, Lessius, &c. contra Soto.

Dixi: qui jam Regnum invasit, &c. quia, si nondum obtinuit principatum, & actu resistat Republica, non est, cur dicatur illi conferre auctoritatem ferendi Leges, & Sententias.

ARTICULUS II

Utrum Iudici liceat judicare contra veritatem, quam novit, propter ea, quæ in contrarium proponuntur?

Sive communiter.

Utrum Iudex possit condemnare, quem privata scientia novit innocentem, si juridicè probetur nocens.

Intèr varias hæc de re Sententias tres sunt præcipuæ. Prima tenet, quod neque in criminalibus, neque in civilibus Iudex possit condemnare eum, quem certo scit innocentem, quamvis juridicè probatum nocentem. Ita Lyranus, Hugo, Panormit. Angelus. Secunda tenet, id posse in civilibus, non in criminalibus. Ita Adrianus, Wiggers, Sylvius, Lessius, & communiter Recentes. Tertia, quod tam in criminalibus, quam in civilibus Iudex possit, & debeat, neglecta privata scientia, judicare secundum allegata & probata, idèque condemnare probatum juridicè nocentem, quantumvis certo sciat privatim esse innocentem. Ita cum S. Th. S. Raymundus l. 1. tit. 9. §. 10. dicens omnes ferè Doctores Juris Canonici ita sentire: S. Antoninus, Sylvest. ter, qui pariter asserit esse Sententiam communem antiquorum Theologorum & Canonistarum: Turcematia, Petrus de Tarentasia, postea dicitur Innocentius V. Cajet. Soto, Bannes, & communiter in Schola D. Th. extrâ, Alexander de Hales, Abulensis, Covarruvias, Azorius, Valentia, Dicastillo, Steynerius, & alii.

Suppono (Q. 64. a. 6. ad 3. & hic q. 67. a. 2. o.) Judicem in casu debere omnem diligentiam, industriam, & dexteritatem adhibere, ut liberet innocentem: pura avertendo actorem ab accusatione, vel eam de jure repellendo; testes de sua falsitate secreto per alios monendo, eos seorsim pluries per intervalla, & accuratius secundum omnes circumstantias etiam leviores examinando, ut eos in aliqua contradictione, vel falsitate deprehendat, sicut fecit Daniel in causa Susannæ, litèram protrahendo, curando, si possit absque scandalo, ut carcer maneat apertus; & evadat innocenti; remittendo alteri iudici, sive superiori, sive inferiori ipsum interim instruendo de falsitate testium, & seipsum testem in contrarium exhibendo: Iudex autem supremus, si tamen possit absque scandalo, & Republicæ perturbatione, suprema auctoritate innocentem absolvat. Hæc, inquam, supponuntur, & admittuntur in omni sententia, quia Iudex debet uti potestate publica absque propria sive ignorantia, sive imprudentia, sive negligentia. Verum, si hæc non prosint, casus est, quem puto metaphysicum, & fortè huc usque inauditum: vix enim credibile est, Judicem non posse aliquo modo ex assignatis, aut aliis succurrere innocenti. Ceterum data hæc hypothesis, quid facito opus? Patroni 1. & 2. Sententia tenent, Judicem in hæc hypothesis non posse neque absolvere, neque condemnare innocentem probatum nocentem, sed debere supersedere a iudicio: quod si urgeatur, debere dimittere officium, imò mortem subire potius, quam condemnare hunc innocentem: contra quos

Dico: (1b.) Nobis probabilis est, Judicem, sive in criminalibus, sive in civilibus, posse, imò & debere judicare secundum allegata, & probata contra privatam scientiam, licet inde contingat innocentem occidi.

Prob. 1. ex Scriptura. Deut. 17. v. 6. dicitur: In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur; & Cap. 19. v. 15. In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum: quod repetit Christus tamquam communiter ab omnibus notum & receptum, Matth. 18. v. 16. Quibus verbis statuitur forma iudiciorum; sensusque est, quod per duorum, aut trium testimonia accusatio erit firma, resque staret, ut de illa Iudex possit ferre sententiam. Et quamvis hæc constitutio non vigeat amplius vi legis Mosaycæ, vigeat tamen vi Juris gentium, a quo est acceptata tamquam Juri naturali consentanea, ut patet ex allegatione Christi.

Quidam respondent, hæc esse vera regularitèr loquendo, & quando hæc duorum, vel trium testimonia non contradicunt scientiæ private. Sed contra, 1. hæc responsio est merè gratuita. 2. Vix licet Scripturæ: dicit enim Scriptura stabit omne verbum, secundum autem responsum stabit aliquid tantum verbum, quando nempe scientia privata non contradicit. 3. Juxta hæc responsum Iudex non debet audire testes, quando ipsi privatim constat de veritate facti, quod nemo admittit.

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

Alii respondent, verba Scripturæ esse intelligenda negative, hoc sensu scilicet, quod nemo debeat condemnari, nisi probetur reus per duos, vel tres testes; non autem affirmative, quod semper damnetur, qui probatur reus. Sed contra: Hæc responsio, ut præcedens, & est gratuita, & vim facit Scripturæ: non enim Scriptura dicit negative, non stabit verbum, nisi in ore duorum, vel trium sed affirmative & universalitèr, stabit omne verbum in ore duorum, vel trium.

Prob. 2. (Q. 67. a. 2. in a. s. c.) Ex Patribus, & ex Jure. Causa 3. q. 7. C. Judicet dicitur ex S. Ambrosio serm. 20. in Ps. 118. Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges, & jura pronuntiat... nihil paratum, & mediatum domo desert, sed sicut audit, ita judicat. Quæ verba non sic sunt intelligenda, quasi Iudex non possit privata, vel scientia, vel industria juvari, ut accuratius testes interroget, & præviè adlaboret liberationi innocentis; sed quod non possit aliquid judiciale proferre, nisi ex scientia publica. Et Causa eadem q. 3. C. Quamvis dicitur ex Aug. libr. de Pœnit. c. 3. Quamvis vera sint quadam, non tamen Iudici sint credenda, nisi certis indicibus demonstrantur. Et causa 3. q. 5. C. Si quis idem repetitur, & additur ex Victore Papa: Nisi que manifesto iudicio convincuntur, nisi que iudicio, & ordine publicantur. Quod iterum respondent adversarii hæc esse intelligenda regularitèr, non autem quando testimonia contradicunt scientiæ private, solvitur ut antè, dicendo scilicet, esse non solum gratuitum, sed violentum, & contra sensum apertum verborum: ut patet legenti.

Prob. 3. Ratione. (1b.) Judicare pertinet ad Judicem, secundum quod fungitur publica potestate: ergo informari debet in iudicando, non secundum id quod ipse novit tamquam privata persona, sed secundum quod sibi innoscet tamquam persone publicæ. Subsumo; atqui innoscet sibi ut persone publicæ, & in communi, & in particulari: in communi quidem per leges publicas divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittit debet; in particulari autem negotio per instrumenta, aut testes, & alia hujusmodi legitima documenta, quæ idè debet sequi in iudicando magis, quam quod ipse novit tamquam privata persona. Instauratur hæc ratio ex Cajetano in Summula v. Homicidium n. 3. Exigit natura actus publici (quale est iudicium), ut sic ex publica potestate, & publica scientia, ita quod potestas publica moveatur a scientia publica, & reguletur per illam: alioquin cause non essent sibi invicem commensurate, dum potestas esset publica, & scientia esset privata, nec adhiberetur cause commensurate effectui, dum actio potestatis publicæ poneretur exire a scientia privata: ergo.

Confirmatur. Iudex gerit vices Republicæ, & ejus nomine profert iudicium: ergo debet judicare sicut judicaret ipsa Republica; atqui Republica judicaret secundum scientiam publicam: ergo. Neque dicas, quod, si Republica sciret scientia privata innocentiam accusati, ipsum non condemnaret; nego quippè suppositum: non datur, nec dari potest in Republica scientia privata, sed omnis scientia Republicæ est publica, & communis omnibus, alias non foret scientia Republicæ, seu Communitatis. Hæc autem si adest, non est necessaria testium discussio.

Respondent adversarii, hæc ratione S. Th. nihil aliud intendere, aut probare, quam quod Iudex teneatur sequi allegata & probata, si iudicet, at, inquam, non tenetur, imò nec potest in casu judicare, quia non potest secundum Jura absolvere probatum nocentem, nec damnare, quem novit innocentem; sed tenetur supersedere a iudicio, & si urgeatur, debet potius dimittere officium, imò & mortem pati, potius quam condemnare hunc innocentem. Sed contra. Prob. juxta S. Th. & rei veritatem quod Iudex in casu possit, & debeat judicare, proindeque quod non teneatur dimittere officium. Si Iudex in præsentibus casu non possit judicare, idè esset, quia peccaret, vel absolvens, vel damnando innocentem; atqui secundum D. Th. & rei veritatem non peccaret damnando innocentem secundum allegata & probata: ergo potest judicare. Prob. min. 1. Quantum ad D. Th. Iudex, inquit diserè S. Doctor. (Q. 64. a. 6. ad 3.) non peccat secundum allegata & probata Sententiam ferendo; quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui cum asserunt nocentem: ergo. Hoc autem ultimum dicit S. Th. non quod Iudex in casu aliquo modo non concurrat ad mortem innocentis per suam Sententiam, testimonia enim absque iudicis Sententia nihil efficient; sed quia non intendit mortem innocentis, sicut intendunt falsi testes, sed tantum satisfacere suo officio, & servare ordinem Juris, ut modo dicam.



Prob. 2. eadem minor: qui utitur jure suo, & rite fungitur officio sibi imposito in commune bonum, non peccat, licet præter intentionem alicui damnum contingat; atqui Judex in præsentī casu judicando secundum allegata, & probata utitur jure suo, & rite fungitur officio sibi imposito in commune bonum, cum observet ordinem Juris, ut dictum est in probatione, & præter ejus intentionem contingit occisio innocentis, ut dicam infra: ergo non peccat judicando: ergo judicare potest; si autem possit, tenetur.

Quod proba sic: Judex interpellatur, reo per testes irrejicibiles convicto, & Actore, seu Republica instante, tenetur ex Lege naturæ Jus dicere, & secundum formam juridicī unicuique reddere quod suum est, nisi obstat peccatum, ut probavimus: ergo tenetur judicare: ergo non potest a judicio supersedere, nec proinde dimittere officium, hoc enim esset supersedere. Et dicant velim adversarij: Sit supremus Judex Princeps, aut Rex, qui ob immanitatem sceleris instante Republica non potest absque scandalo, ac perturbatione absolvere probatum nocentem, tenebitur forte cedere Regno, vel imperio in apertam boni communis perniciem? Nemo putem id asserere audebit. Naque id unquam dixit S. Th. de quocumque Judice, quod tamē fuisset compendio quæstionem resolvere. Quinimō contrarium aperte resolvit, dūm dixi loco cit. Judicem ferentem Sententiam secundum allegata, & probata non peccare, & hic o. *Quid si probationes inductas non possit de jure repellere, debet eas in judicando sequi.*

At, inquis, diximus supra ex S. Th. Judicem in casu debere superiori relinquere judicandum: ergo non tenetur judicare, sed potest supersedere. Itā quidē, si possit judicium superiori dimittere. At non semper potest. Potest, causa non instructa, aut etiā instructa, partibus consentientibus; sed non est casus. Non potest causa plene instructa, & parte instante, aut superiore recusante, & hic est casus. Subiit autē immediate S. Th. *Si nec hoc potest, non peccat secundum allegata Sententiam ferens: cum debuisset dicere, si vera sit adversariorum Sententia: si nec hoc potest, debet officium dimittere.* Unde optima cautela Judicis in casu hujusmodi, inquit hic Cajetanus, est antequam perveniat ad ulteriora, vel repellere ex officio accusationem, vel itā preveniendo operari, ut non procedatur in causa; quod multis modis fieri potest.

Prob. 4. (Q. 64. a. 7. o.) Conclusio ex altero principio D. Thomæ. Quando unius actus est duplex effectus æque immediatus, unus bonus, alter malus potest quis intendere bonum, & se habere permissivè ad malum, si bonus sit majoris, aut æqualis momenti, ac malus; atqui iudicis in casu est duplex effectus immediatus, unus bonus, scilicet conservatio ordinis Juris, boni communis, & tranquillitatis in Republica; alter malus, scilicet mors innocentis; & bonus est æqualis saltem momenti, ac malus: ergo Judex potest intendere bonum, & se habere permissivè ad malum. Paritas est in eo, qui se defendit cum occisione injusti invasoris; aut in Duce, qui in bello justo occidit innocentes cum hostibus. Hæc ratio adhuc magis elucidatur. Ex denegatione Sententiæ in casu præter inversionem ordinis Juris, nata sunt per se sequi scandala in populo, contemptus Justitiæ, perturbationes Reipublicæ, & ansa præbetur Judicibus, quos voluerint, pro libitu absolvere, vel condemnare; atqui hæc mala, utpotè communia præponderant morti unius innocentis: ergo nihil prohibet, quin Judex ferendo Sententiam intendat hæc mala cavere, & permissivè se habeat ad mortem innocentis. Imò longè satius est, Justitiam sic firmo semper & eodem pede juxta Legum præscripta procedere, & bono communi vitam unius particularis postponi.

Confirmatur. Ideo, juxta Sylvium, Lessium, & alios plures, Judex potest in civilibus & minoribus criminalibus condemnare innocentem probatum nocentem, quia bonum commune exigit, ne forma judiciorum publicorum cum scandalo populi pervertatur; atqui hæc ratio fortius militat in nostro casu: ergo. Neque dicas, Reipublicam posse disponere de bonis fortunæ propter commune bonum, non verò de vita Civium; id enim ultimum verum est duntaxat de morte intenta, non de morte permissa.

Solvuntur objectiones.

Pro solutione object. notandum 1. ex nostro Sylvestro dupliciter aliquem posse esse innocentem 1. de facto, quando revera crimen non admisit. 2. De Jure, quando in judicio probatur innocens, aut non probatur nocens. Similiter dupliciter aliquis potest esse nocens, scilicet de facto, quando revera crimen admisit; & de jure, quan-

do in judicio probatur crimen admisisse: itā quod, qui de facto est innocens, possit esse Jure nocens, & e contra. Notandum 2. Quod, sicut est duplex scientia in Judice, una facti, qua ut persona privata scit aliquid, ut de facto accidit; altera Juris, qua ut persona publica scit aliquid, prout in judicio probatur; ita est duplex veritas, scilicet facti, quæ est conformitas intellectus ad rem prout est, & Juris, quæ est conformitas intellectus ad rem, prout in judicio probatur esse; ita ut ea, quæ sunt de facto vera, sint quandoquæ falsa juridicè, & e contra. Insuper præ oculis habendum est, Judicem esse actum esse personam publicam, vices agere communitatis in judicando, & esse ejus Vicarium; judicium esse actum publicum, actum prolatum nomine Reipublicæ, proindeque proferendum secundum notitiam publicam.

Obj. 1. Lege tam naturali, quam divina, prohibetur occidere innocentem tamquam quid intrinsecè malum, quod nullo bono sine coonestari potest. Unde Exod. 23. v. 1. dicitur: *Non suscipies vocem mendacii. v. 2. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut a vero devies. v. 6. Mendacium fugies: & tandem v. 7. Insonem & justum non occides.* ergo. R. D. Ant. dupliciter: 1. Lege tam naturali, quam divina prohibetur occidere innocentem ex intentione. C. præter intentionem vacando rei licite, & fungendo debito officio. N. Patet in occisione invasoris, materialiter tantum injusti, aut in eversione turris, in qua includuntur innocentes cum hostibus. 2. Prohibetur occidere innocentem de facto & de jure, C. Innocentem de facto, nocentem autem de jure. N. Patet ex dictis. Et juxta hunc sensum intelligenda sunt verba Scripturæ, scilicet, prohiberi Judicis se jungere multitudini, aut testibus mendacibus, quos ut tales in judicio deprehendit, atque occidere innocentem juridicè probatum talem. Quod confirmant Auctores ex paraphrasi Chaldaica, quæ sic habet: *Eum, qui fuerit justificatus, & exierit justus, non occides.*

Inst. 1. Republica ipsa non habet potestatem occidendi talem innocentem: ergo eam conferre Judici non potest. Prob. Ant. Casu quo Tyrannus petat innocentem occidi à Republica, alioquin omnia eversurus, juxta communem sententiam, quam sustinemus, non potest Republica occidere hunc innocentem, etiāsi tota periclitetur: ergo a fortiori in presenti casu, in quo minus periclitatur. R. N. Ant. Ad probat. N. Conseq. Prima disparitas est, quod salus Reipublicæ non sequatur immediatè ex innocens occisione, sed ex mutata voluntate Tyranni; conservatio autem ordinis Juris & boni communis sequitur immediatè ex processu secundum allegata & probata. Altera disparitas est, quod innocens in primo casu sit de facto & jure innocens, in nostro autem casu est nocens de jure.

Inst. 2. Judex debet judicare secundum Leges; atqui nulla est Lex, quæ permittit, aut jubet hunc innocentem occidi: ergo. R. D. Maj. Judex debet judicare secundum Leges in communi, N. Secundum Leges applicatas huic particulari facto, C. Applicatur autem per depositionem testium. Insuper nego Minorem, & assigno Legem, eam nempe, quæ decernitur poena mortis in crimen, de quo accusatus convinctur per testes, junctam huic: *In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur, seu stabit omne verbum.*

Inst. 3. Judex per Episkiam debet magis attendere ad intentionem Legislatoris, quam ad verba Legis: atqui intentio Legislatoris non est, quod occidatur innocens: ergo. R. D. Min. Intentio Legislatoris non est, quod occidatur innocens re & jure, C. Innocens re & nocens jure, N. Id enim exigit bonum commune, quod maxime intendit Legislator.

Inst. 4. Nunquam est licitum agere contra conscientiam; atqui Judex condemnando eum, quem scientia privata scit esse innocentem, ageret contra conscientiam: ergo. Prob. Min. Quia nomen conscientia importat applicationem scientie ad aliquid agibile: ergo. R. N. Min. (Hic q. 67. a. 2. ad 4.) Quia homo in his quidem, quæ ad propriam personam pertinent, debet informare conscientiam suam ex propria scientia; sed in his, quæ pertinent ad publicam potestatem, debet informare conscientiam secundum ea, quæ in judicio publico sciri possunt. Unde ad probat. minoris, D. nomen conscientia importat applicationem scientia private, vel publicæ, C. private semper, N. Quando scilicet est persona publica, & agit nomine Reipublicæ.

Obj. 2. C. *Cum aterni. De sentent. & reducti.* in 6. Innoc. IV. prohibet Judicibus condemnare illum, quem aterni Judicis Tribunal reum non habet. Et cap. *Qui scandali-*

averit. De reg. Jur. dicitur: *Utilitatis nascitur scandalum, quam veritas deseratur:* ergo. R. Ad 1. Aterni Judicis Tribunal etiā habere reum illum; qui talis juridicè probatur, non quidem in foro interno, sed externo; & hunc esse sensum Canonis, patet, tum quia alioquin Judex ignorans hunc esse innocentem, damnaret eum, quem aterni Judicis Tribunal non haberet reum; & peccaret; tum etiam quia Glossa in hunc locum dicit, quod ex eo textu Judex debeat judicare secundum allegata & probata. Ad 2. R. Judicem nullam veritatem deserere, quam debeat amplecti, veritatem deserere, quam debeat amplecti; veritas enim, quam ipse scit privatim, sed ea, quam ab ore testium inquit, & quæ in ore duorum, vel trium consistit.

Inst. Judex humanus debet judicare sicut Deus judicat; atqui Deus judicat secundum rei veritatem: ergo. R. N. Maj. (Ibid. ad 2.) Quia Deo competit Judicium secundum propriam potestatem, & ideo in judicando informat secundum veritatem, quam ipse cognoscit; non secundum hoc, quod ab aliis accipit. Alii autem Judices non judicant secundum propriam potestatem; & ideo non est similis ratio. Non ergo debet homo judicare, sicut Deus judicat, sed sicut Deus vult ipsum judicare; vult autem ipsum judicare secundum scientiam publicam, ut patet ex dictis.

Repones: Judex ut Judex movetur ex scientia privata ad examinandos accuratius testes, quidam ad ferendum judicium? R. 1. Argumentum nimis probare; ex eo enim sequitur, quod Judex in casu posset & deberet ex scientia privata absolvere probatum nocentem, quod non admittunt Adversarij. R. 2. N. Conseq. Disparitas hæc est: Judex movetur ex scientia privata ad examinandos accuratius testes, quia debet uti potestate publica absque propria vel negligentia, vel imprudentia, vel ignorantia, proindeque adhibere privatas animi dotes industriam, sagacitatem, scientiam, &c. ut meliori quo possit modo perveniat ad scientiam publicam, & ex ea ad judicium rectum, quod est finis processus juridici: idque intendit Republica, eaque sub conditione confert suam auctoritatem, undè & digniores & capaciores Judices querit. At, adepta semel scientia publica, ex ea, & non ex scientia privata Judicis, Republica vult proferendum esse judicium; sicut ipsa proferret, si judicaret: alioquin frustra Juri ordinem instituisset, & in quacumque causa hoc ipso, quo Judex esset privatim conscientis facti, non deberet instituire processum, nec audire & discutere testes, sed statim & solus proferre sententiam; quod est absurdum.

Obj. 3. Nemo prudens adhibet media contraria fini, quem intendit: sic medicus non adhibet media sanitati recuperandæ contraria; atqui depositiones testium adhibentur ut media ad adipiscendam veritatem: ergo, si huic finis sit contraria, non sunt admittendæ, sed repellendæ. R. D. Mjn. Depositiones testium adhibentur ad adipiscendam veritatem facti absolute, N. veritatem facti publicam, C. Unde dicit S. Doctor (Ib. ad 3.), quod, si factum sit manifestum Judicis & non aliis, vel aliis & non Judicis, necessaria sit Judicis discussio, ut nempe perveniat ad veritatem publicam, quæ est finis depositionis testium.

Inst. Finis Justitiæ est reddere unicuique jus verè suum: ergo. R. D. Ant. Finis Justitiæ private, C. publicæ, N. Finis enim Justitiæ publicæ est reddere unicuique jus suum non simpliciter, sed quantum potestas & scientia publica se extendere possunt, inquit hic Cajetanus.

Obj. 4. A multiplicitate paritas: prima paritas, Judex, certò sciens privata scientia, Mariam non esse uxorem Joannis, licet juridicè probetur talis, non potest illam condemnare ad cognoscendum Joannem id exigentem ex malitia, ergo similiter in nostro casu. Respondent quidam ex principiis positīs negando antecedens; & sic innuitur C. *Tua nos, De Sponsalibus*; sed addunt, Mariam non posse parere huic Sententiæ, nec accedere ad Joannem; quia, cum sit persona privata, & copula sit actus conveniens homini ut privatæ personæ, debet in hoc regi scientia privata, & non publica sicut Judex. Respondent alij, concessio antec. negando conseq. dantque disparitatem, quod Deus de vita hominis disponat ut voluerit, tradiditque hominibus regulas, juxta quas & ipsi de ea disponant, non verò de corpore hominis in ordine ad actum carnalem extrā matrimonium: hujusque disparitatis ratio esse potest, quod pati mortem sit tantum malum physicum ex parte innocentis: accedere autem scienter ad non suam, vel non suum, sit malum morale ex parte accedentis.

Secunda paritas. Lictor est minister publicus Reipublicæ, non sicut ac Judex; atqui tamē, sciat si privata scientia. Billuart. Secunda Secunda.

ria damnatum a Judice ad mortem esse innocentem, non potest hanc sententiam exequi: ergo nec Judex illum proferre. Respondet Cajetanus hic negando minorem his verbis: *Minister judicis debet uti utraque dexteritate, ut testimonium suum inferret sententiam iniquam; & si hoc non possit, debet peccare, ut sublegetur ad hoc executione. Quod si nec hoc potest obtinere, sed sponte ipsum obedire, aut cedere officio, licet potest publica ministeriali potestate uti, & publica scientia & potestate principali mata, sicut de Judice dictum est; eadem enim est ratio. Propter quod scilicet esset, si sententia contineret errorem invidabilem, aut manifestam iniquitatem; quia tunc non ex scientia publica incederet, multo... Auctor q. 64. a. 7. ad 4. dicit, quod minister non peccat exequendo, si sententia non continet manifestam injustitiam; & non dicit manifestam sibi, sed manifestam absolute. Hæc usque Eminenti. Cardinalis. Alii tamē aliquod discrimen esse existimant inter Lictorem & Judicem: quatenus Lictor, licet ad hanc particularem executionem utatur potestate & scientia publica, non incurbit tamē ipsi ex officio, sicut Judicis, Jus dicere inter partes, conservare ordinem judiciorum, invigilare bono communi, &c. undè ex omissione ejus executionis non sunt nata sequi mala, quæ nata sunt sequi ex denegatione judicis: ipsamque comparant militi, qui, cum certo scit bellum esse injustum, non debet, nec potest militare.*

Tertia paritas. Si Judex sciret, se non habere auctoritatem in reum, quantumvis testes deponerent illum eam habere, & minarentur mortem, ni judicer, non posset judicare: ergo similiter, si sciat esse innocentem, quia ad judicandum non minus requiritur veritas criminis in Judice, quam auctoritas. R. N. Conseq. Disparitas est 1. quod, quando agitur de auctoritate Judicis, ipse non sit in hoc Judex, ut hoc definiat per sententiam; & sic potest uti scientia sua privata. 2. Quia auctoritas Judicis non pendet ex depositione testium, sicut pendet veritas publica in judicio, sed consequitur officium & superioritatem.

Quarta paritas. Si Judex certò sciret, Legem esse injustam, aut factum non mereri talem poenam juxta Legem non posset secundum hanc Legem accusatum ad talem poenam condemnare, quamvis multi contrarium assererent: ergo nec quem certò scit innocentem. R. N. Conseq. Disparitas est ut antè, quod æquitas Legum non pendat ex depositione testium, sicut veritas facti publica, sed ex eo quod sint conformis Legi naturæ.

Quinta paritas. Si Papa certò sciret, aliquam propositionem, de qualis est, esse veram, non posset illam dicere falsam, nec ut talem condemnare, quamvis multi Doctores assererent esse falsam: ergo similiter in nostro casu. R. N. Conseq. Prima disparitas est iterum ut supra, quod definitio propositionis de fide non pendat ex testimonio hominum, sed ex assistentia Spiritus S. undè ipse Pontifex posset quandoquæ definire contra id, quod ipse opinatur, si forte esset occultè hæreticus. Secunda disparitas est, quod nunquam liceat asserere falsitatem, aut negare veritatem, quod faceret Pontifex in casu posito. At in nostro, Judex non asserit falsum; non enim dicit, hunc innocentem esse de facto reum; sed dicit tantum, probari reum & ideo damnandum; quod verum est.

Sexta paritas. Confirmator alicujus electionis non potest eam confirmare, si certò noverit electum esse indignum & tamē est Judex illius electionis: ergo similiter in nostro casu. R. N. Conseq. Disparitas est, quod confirmator habeat jus confirmandi, vel irritandi electionem, prout judicaverit bono communi expedire, independentè a voluntate & testimonio electorum: ita ut, sicut electores liberè eligunt, quem ipsi judicant esse dignum scientia privata; ita confirmator confirmet, quem dignum judicaverit scientia, sive privata, sive publica, & in hoc differt a Judice. In tantum autem dicitur Judex electionis, in quantum potest illam confirmare, vel cassare, prout è re judicaverit.

Ob. 5. Ab inconvenientibus. Ex nostra Sententia sequitur 1. quod Pilatus licetè condemnaverit Christum, quamvis sciret, ipsum esse innocentem. 2. Quod, si ipse Judex apposuisset malitiose accusatorem & falsos testes, quos postea non valeret repellere, posset & teneretur condemnare, quem privatim novit innocentem. 3. Quod, si Monasterium integrum accusaretur, & testibus irrejicibilibus convinceretur de prodicione Patriæ, idololatria, vel alio simili crimine immani, Judex reclamante scientia privata posset illud condemnare; atqui hæc videntur absurda: ergo. R. ad 1. Nego sequelam; quia juxta Scripturam Pilatus non habuit testimonium convenientia contra Christum; unde



ipse iis auditus confessus est, se nihil in Christo dignum morte invenire. Ad 2. respondet noster Serra, non esse inconveniens: sicut non esset, si Iudex apponeret accusatorem & testes falsos contra aliquem, quem ipse solus agnosceret reum, & postea iis omnibus tentatis non posset illos repellere; quanvis enim apponendo accusatorem & falsos testes gravissimè peccaverit, non peccat tamen fungendo debito officio, parte & populo instante. Alii, quibus dura videtur hæc responsio, arbitrantur, quod cum in hoc casu Iudex sit causa primordialis & voluntaria totius iniustitiæ, teneatur iniquitatem suam aperire, & mori potius quam in ea pergere damnando innocentem: hæc solutio est magis pia; sed prima forte verior, saltem metaphysicè loquendo, proût casus est verè metaphysicus: non enim est credibile, quòd Iudex non possit aliquo modo repellere accusatorem, aut testes falsos, quos ipsemet opposuit. Ad 3. respondet idem Serra, non esse inconveniens, quòd unus, aut plures secundum allegata & probata condemnentur. Nullum ergo, concludit Dominicus Soto l. 5. q. 4. a. 2. argumentatio aculeum habet, aut pondus adversus hæc. D. Thomæ, (quam plerique merissimè amplexi sunt) opinionem, nisi illud quòd a pietate sumitur; videtur enim animus extimescere innocentem morti adigere; hoc autem solum persuadet, quòd sit impendio quam maxima adhibenda diligentia & cura in eius tutelam, non tamen quòd eius causa deserenda sint Leges, deserendaque tranquillitas publica. Est enim Lex omnis humana, quantumvis iusta, nihil aliud, quam cribrum expurgandi iritici, que nequit sic exactè iusta & injusta decernere, quin cum purgamentibus nonnulla quandoquè decidant grana.

ARTICULUS III.

Utrum Iudex possit aliquem condemnare privata scientia, absque accusatore & testibus, non concessio defensionis loco?

Articulo præced. quævisimus, utrum Iudex possit iudicare secundum privatam scientiam contra allegata & probata: nunc quærimus, utrum possit iudicare secundum privatam scientiam sine allegatis & probatis.

Dico: Iudex non potest aliquem condemnare ex privata scientia sine accusatione formali, vel virtuali, sine testibus, & non concessio defensionis loco. Est communis cum Auctore contra Covarr. & quosdam alios, qui id putant licere Iudici supremo, eò quòd, cum condant Leges, possit ipse derogare. Prob. 1. pars. (Hic q. 67. a. 3. o.) Condemnare aliquem sine accusatore est contra naturam & rationem Justitiæ: ergo. Prob. Ant. Condemnare aliquem sine accusatore est sibi ipsi reddere Justitiam, vel nulli, cum non sit alius qui petat; atqui hoc est contra rationem Justitiæ, quæ non est ad seipsum, sed ad alterum, & idèò necesse est, quòd Iudex inter aliquos duos iudicet: ergo. Et hæc ratio probat, non solum pro criminalibus, sed etiam pro civilibus. Prob. (Ibid. a. 2. o.) 2. pars ex principiis superioris articuli. Iudex est persona publica, Vicarius Republicæ, cujus nomine & potestate iudicium profert: ergo debet moveri a scientia publica, & per eam regi; atqui scientia publica habetur per testes: ergo. Prob. 3. pars ex communi hominum sensu & usu, ubique etiam apud Gentiles recepto. Undè communia adagia: Audi alteram partem; &: Nemo condemnatur inauditus. His rationibus accedunt Jura. Fabianus Papa Causa 4. q. 4. C. Nullus sic decernit: Nullus unquam præsumat accusator simul esse & Iudex, vel testis; quoniam in omni iudicio quatuor personarum necesse est semper adesse; id est, Iudices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, atque testes legitimos. Idem c. sequenti. Et Clement. Pastoralis l. 2. tit. 11. versus finem dicitur: De crimine præsertim sic gravi delicto, defensionis (quæ a Jure provenit naturali) facultas admitti voluisset, cum illa tollere Imperatori non liceret, quæ Juri naturalis existunt. Undè Act. 25. dicit Festus: Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem priusquam is, qui accusatur, præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Et ex his patet responsio ad fundamentum Covarraviæ: quia hic non agitur tantum de Legibus humanis, sed etiam de Lege naturali, aut saltem de Jure gentium, quibus derogare non potest Iudex supremus.

Dixi: Sine accusatione formali, vel virtuali; quia non semper requiritur formalis, sed quandoquè sufficit virtualis, seu aliquid supplet vices accusatoris. (Ib. ad 2.) Undè r. Quando crimen est publicum, & simul notorius auctor criminis, potest reus condemnari absque accusatore,

imò & absque testibus, quia evidentiæ publica supplet vices accusatoris & testium, & clamat pro Republica. Hinc Cas. Evidentiæ lib. 5. tit. 1. dicitur ex Aug. Evidentiæ patratæ sceleris non indiget clamore accusatoris. Et C. Manifesta Causa 2. q. 1. Manifesta accusatione non indiget. Et c. subseq. ibid. De manifesta & nota pluribus causis non sunt querendi testes. Eadem ratione non est opus accusatore formali, nec testibus, quando crimen committitur coram Iudice & aliis, ut cum Iudex cum suis videt furari, occidere, audire blasphemare, &c. Undè non sunt culpandi Iudices, qui repositos in flagranti crimine, ut latrones in viis, milites erroneos, exemplo jubent suspendi. 2. Infamia publica (Ibid.) tenet locum accusatoris, non quidem ad condemnandum, sed ad inquirendum. 3. Denuntiatio juridica supplet etiam locum accusatoris ad inquirendum: non autem denuntiatio charitativa, quia hæc respicit tantum emendationem delinquentis, illa vindictam criminis. Si tamen, facta denuntiatione charitativa, & adhibita paternæ monitione, reus non emendatur, nec obedit Prælato; tunc manifesta ejus rebellio tenet locum accusatoris, & ex ea Iudex sine alio accusatore potest contra illum judicialitè procedere, si nempe sit crimen, quod in foro contentioso tractari conveniat.

Addit Sylvester V. Homicidium l. q. 2. & Navarr. in Man. c. 25. n. 1. quos sequitur Sylvius hic, quòd, si ex processu publico metatur rebellio populi, aut gravis aliqua perturbatio, Princeps, aut Iudex supremus possit, causa privatim discussa & certo cognita, jubere occidere inauditam; quia supponendo causam certo cognitam nulla fit ipsi injuria, cum nulla pateat ipsi via defensionis, & insuper urget ratio, cur non audiatur. Id quidem non est improbabile; sed puto rarissimè & vix unquam in praxi admittendum, cum ordinariè dicatur, quòd id, quòd audita una tantum parte videtur certum, audita altera parte evadat dubium. Insuper, hoc admissio, dicendum est, Jus naturæ, aut gentium non prohibere condemnationem inauditam, nisi quatenus constat nullam ei suppetere defensionem. Minus autem dubium est, quòd, si non agatur de crimine patratò, sed patrandò, graviter bono communi periculosum, ut si quis machinetur prodicionem Patriæ, quæ proditio averti nequit nisi morte machinantis, & id certo constet Principi, possit hunc sine accusatore, sine testibus, & inauditam jubere occidi; quia tunc non tam agit ut Iudex, quam ut defensor boni communis, suæ curæ commissi.

Petes, utrum Iudex possit licitè relaxare poenam? R. Iudex inferior non potest; quia inferior non potest dispensare in lege superioris. (Ibid. 4. o.) Potest Iudex supremus, scilicet Princeps, si pars læsa consentiat, & idèò non sequatur damnum bono communi, quia potest dispensare in lege. Si autem alterutrum obstat, regularitè non potest; quia, cum sit Iudex, debet cuique jus suum reddere, & bono communi invigilare. Dico: Regularitè, quia, si bonum commune futurum ex relaxatione poenæ præponderet juri privato partis læsæ, posset poenam relaxare, etiam parte læsa non consentiente; quia bonum commune præferendum est particulari.

ARTICULUS IV.

Explicantur varii modi, quibus Iudex potest procedere adversus crimina.

Petes 1. Quot sunt modi, quibus Iudex potest procedere adversus crimina? R. Tres assignari cap. Qualitè & quando 2. Extra. l. 5. tit. 1. scilicet, per accusationem, per denuntiationem, & per inquisitionem. Quia tamen denuntiatio pertinet ad inquisitionem, & aperit viam ad illam, aliqui agnoscunt tantum duos modos procedendi, nempe per inquisitionem, cum Iudex, præcedente infamia, vel denuntiatione, ex officio inquiri: & per accusationem, cum ad instantiam partis procedat, & ejus probationes admittit. Hic modus nunc est rarus, ut dicam de accusatore.

Denuntiatio est duplex: una Evangelica, seu charitativa, altera juridica. Prima fit Superiori ut Patri in bonum & emendationem delinquentis: altera fit Superiori ut Iudici in vindictam criminis & bonum commune. De hæc 2. hic agitur: vi primæ enim Superior non potest inquirere, ut puniat denuntiatum, sed tantum paternè illum monere, qui si tamen non obtemperet, tunc ex manifestata ejus rebellione, quæ supplet vicem accusatoris, potest contra ipsum Iudex procedere, ut dictum est art. præced. Denuntiatio juridica differt ab accusatione 1. Quòd accusator suscipiat onus probandi, non denunciator. 2. Quòd

accusator se faciat partem, non denunciator. 3. Quòd accusatio fieri debeat in scriptis, non denuntiatio. Notat tamen Clar. Pompa verbo Denunciatio in Proccmo; quòd in Gallia, cum denunciator teneatur ad expensas, & ad damnationem, si denunciatus justificetur, debeat subscribere apud Fiscalem, aut Promotorem Regium denuntiationi suæ. Conveniunt autem denuntiatio juridica, & accusatio in fine; quia utraque intendit vindictam criminum pro conservatione Justitiæ, & boni communis; quatenus metu poenarum mali arcantur a criminibus perpetrandis.

Inquisitio est triplex, generalis, specialis, & mixta. Generalis, dùm Princeps, Iudex, aut Superior inquirat in generali, an leges observentur, an committantur crimina, an sint scandalosi, & similia. Sic inquirunt generalitè Prælati Religionum in annuis visitationibus: Specialis, quæ inquiritur de persona determinata, & certo crimine v. gr. an Titius hoc homicidium commiserit: Mixta, quæ inquiritur generalitè de persona, & specialitè de facto, v. gr. quis hoc homicidium commiserit; vel e contra, quæ inquiritur generalitè de facto, & specialitè de persona, v. gr. an Titius observet ordinationes; an non commiserit aliquod crimen.

Petes 2. Quid requiratur, ut Iudex licitè procedat adversus crimina? R. 1. Si procedat via accusationis, sufficit ipsa accusatio. Quia, cum Iudex sit persona publica, & custos juris hoc ipso quo accusator habet jus accusandi, & Jura admittunt accusationem, Iudex potest, & tenetur illam admittere, & ex illa procedat ad interrogationem testium. Quod etiam verum est, quamvis accusatio foret injusta in foro conscientie, puta si accusator procedat ex odio; secus, si esset injusta in foro externo, puta si esset calumniosa. R. 2. Ad inquisitionem generalem nulla requiritur in Iudice rei, aut criminis notitia: quia per hanc nulli fit injuria, & bono communi prospicitur, dum vitia corriguntur, & virtutes promoventur: undè C. Perniciosum; de officio ordinarii, & L. Congruè ff. de officio Præsidis, præcipitur Superioribus, ut certis temporibus visitationes instituant, & inquisitiones generales faciant: quod praxi quotidiana confirmatur.

Adverte tamen (Hic q. 33. a. 7. ad 5.) subditos non teneri, nec posse revelare crimina occulta, quantumvis ipse precipiatur, etiam sub censuris, declarare omnia, quæ sciunt; quia tale præceptum intelligitur salvo ordine correctionis fraternæ, charitatis, & juris, ut exprimerent superiores: nisi forte revelent superiori ut Patri, præmissa tamen correctione fraternæ, si credatur profutura; aut nisi indè imminet malum, quod non nisi opera superioris averti potest, ut si quis tractaret de prodicione civitatis, ut homines a fide averteret. Quòd si aliqui imprudenter revelent occulta, quæ tacere deberent; in nos est imputandum inquisitioni, quæ de se ordinatur ad bonum, sed imprudentia, vel inscitia subditorum, qui ignorantèr putant, se ad omnia revelanda teneri. Ea ergo tantum revelare debent, de quibus est infamia, vel etiam occulta quidem, sed ex quibus imminet detrimentum bono communi, aut particularibus, ut dictum est. Ratio est; quia, cum potestas inquisitionis sit publica, non se extendit ad inquirendum occulta, nisi ratio boni communis, aut particularis exigat: undè C. Qualitè, & quando 1. tit. de accusationibus Pontifex dicit: volumus observari, ut jurent Clerici, quòd super his, quæ sciunt, vel credunt in sua Ecclesia reformanda, tam in capite, quam in membris (exceptis oculis criminibus) meram, & plenam dicant inquisitionibus veritatem.

R. 3. Ad inquisitionem specialem tendentem ad punitionem prærequiritur infamia auctoris, aut aliquid æquivalens supplet vices infamie. Ità decernunt Jura in pluribus locis, C. Inquisitionis §. Tertia Extra. l. 5. tit. 1. de accusationibus, dicitur, quòd, inquisitio fieri debeat sollemnitate super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt. Idem C. Qualitè ibid. & C. Cum oportet ibid. & est communis Theologorum, & Jurisconsultorum Sententia. Ratio est 1. quia, cum inquisitio sit actus publicus, debet procedere ex scientia publica, quæ habetur per famam publicam, vel aliquid equipollens, v. gr. per evidentiæ facti, per accusationem, & similia, 2. quia is, cujus fama est integra, jure posset conquiri sibi fieri injuriam, si in ejus vitam inquireretur, cum ex tali inquisitione ut minimum reddatur suspectus.

Ad infamiam autem requisitam non sufficit, quòd duo vel tres viderint, aut jurent se vidisse, ut habet expressè C. cit. Inquisitionis: sed requiritur clamorosa insinuatio, seu rumor publicus sparsus per majorem partem viciniam, qui non habeat ortum a malevolis, & maledicis: cit. C.

sed talis sit, ut viros probos, ac prudentes merito moveat ad suspicandum, vel opinandum. Debet autem hæc infamia innotescere Iudici, si non per informationem juridicam, ut quidam volunt, saltem per informationem simplicem a viris fide dignis, qui illam attestentur.

Dixi 1. Inquisitionem tendentem ad punitionem; quia, si fiat inquisitio tendens ad præcavendam malè impendentiam communitatis, aut particularibus, licet inquirere specialitè absque infamia præcedente; quia idèò debet infamia præcedere inquisitionem specialem, ne quis per eam infametur; hæc autem ratio cessat; ubi agitur de præcavendo gravi malo communitatis, aut particularis innocentis, utpote quod præferri debeat diffamationi particularis nocentis. Insuper Iudex ut jam dixi, in hoc casu non tam agit ut Iudex, quam ut custos, & defensor boni sibi commissi. Si igitur agatur de matrimonio contrahendo, de collatione beneficiorum, aut Officiorum, de admissione ad Religionem, aut familiatum, & similibus, licet absque prævia infamia inquirere specialitè de vita, & moribus personarum: aliis omnia replerentur matrimonii incestuositas, malis ministris, & malis domesticis, Similitè, si agatur de homicidiis, furtis, prodicionibus, &c. impediendis: in his tamen ultimis casibus debet subsesse quedam suspicio, aut quoddam indicium, cur potius de isto, quam de altero inquiratur.

Dixi 2. vel aliquid æquivalens supplet vices infamie; ex quo nempe habeatur scientia publica: ut si quis liberè confessus sit crimen in iudicio, etiam coram patricio, puta coram Iudice, & notario: quidam etiam addunt, si confessus sit extra iudicium, sed coram multis, & si quis crimen in ipso iudicio committat, ut falsum testimonium. Si crimen coram Iudice, & aliis commiserit. Si Iudici per generalem inquisitionem inquirenti declararet, licet imprudenter, auctor criminis: si sit vehemens populi suspicio contra aliquem; ut contra famulos, dùm queritur de interfectione domini in propria domo, contra nautas, dùm de submersione navis. Quia in his omnibus est notorietas juris, vel facti, aut suspicio communis, ex quibus habetur quedam scientia publica, idèòque supplet vices infamie, & sufficiunt ad inquisitionem specialem. Major est difficultas, utrum denuntiatio juridica sive Fiscalis, si ve alterius privati, sufficiat ad inquisitionem specialem? Communior sententia affirmat, & est praxis communis omnium Tribunalium, modò tamen denunciator fidem faciat, proponatque indicia, aut testes, quibus crimen probari possit: quia talis denuntiatio tenet locum accusationis, & crimen denuntiatum sicut accusatum non censetur amplius occultum, cum ceptum sit noceri in iudicio, & possit probari, quòd dicitur notorium juris, exindeque sit aliqua infamia: undè hæc Sententia non contradicit Juribus requirentibus infamiam; aut aliquid æquivalens.

Ab hac generali responsio. communiter Auctores excipiunt quedam atrociora crimina, scilicet crimen læsæ Majestatis, falsæ monete, hæresis, & maleficii; quia in his propter atrocitatem magis spectatur bonum commune, quam punitio. Prærequiritur tamen semper quedam suspicio, alia quare Iudex de me potius, quam de alio, inquireret?

Nota. Quæ huc usque dixi de inquisitione speciali, dicenda sunt de mixta, quæ est specialis ex parte personæ. Si autem sit specialis ex parte criminis tantum, idem esto iudicium, ac de generali.

Petes 3. Utrum, quando crimen est publicum, & auctor ignoratur, possit Iudex inquirere quis fecerit? R. probabilius affirmativè cum Sylvestro; Navarro; Lessio, & aliis: quia talis est praxis omnium Tribunalium: & aliis, si de crimine publico Iudex non inquireret, populus offenderetur, & malefici spe impunitatis invalescerent. Insuper nemini fit injuria per talem inquisitionem generalem.

Si dicat, per eam dari occasionem revelandi peccatores occultos. R. Id non oriri ex ipsius inquisitionis generalis conditione, quæ non nisi illos, qui revelari possunt, intendit cognoscere, ut sunt ii, de quibus est fama, vel quid simile, ut dictum est; sed ex imprudentia, vel ignorantia eorum, qui interrogantur, dùm ignorantes jure credunt, se teneri omnia etiam occulta, quæ sciunt, declarare. Nequè tamen (probabilius saltem) tenetur Iudex interrogandos instruere, ne detegant Auctorem; quia offenderet populum, & ipse redderetur suspectus corruptelæ, & favoris in reum. Quòd si occultus Auctor detegatur, potest, secundum plures Auctores, procedere specialitè contra illum; quia, inquit, hoc ipso, quo criminis auctor est detectus publicè, seu in iudicio, quantumvis iniquè ex parte detegentis, potest & debet Iudex contra ipsum specialitè inquirere, & convictum damnare: sicut si quis crimen, alioquin occultum, injustè in rumores publicos deduc-



ducat: modo tamen ipse Judex non sit causa per injuriam talis declarationis, ut suppono non esse precise ex eo, quod inquit generaliter; & modo detecto per revelationem sacramentalis Confessionis non habeatur.

ARTICULUS V

Quid requiratur, ut Judex possit Reum juridice interrogare, subijcere tortura, & tandem condemnare?

Dico I. (Infra q. 69. a. 2. a.) Præter accusatorem formalem, aut supplementem vices ejus, ut Judex reum juridice interrogare possit, requiritur vel infamia juridice probata, aut admiculata, vel expressa indicia, vel semiplena probatio. Hæc conclusio magis probatur auctoritate D. Th. unanimi Doctorum sensu, & communi Tribunalium praxi, quam ullo jure. Favet tamen etiam ratio. Etenim durum nimis, & minus consentaneum conditioni humane, ac rationi videtur, cogere reum fateri crimen in sui perniciem dum adhuc est incertum, & quodam modo occultum; ipsique suppetit ratio probabilis illud celandi, objecta repellendi, sicque evadendi; atque, ubi adest tantum simplex accusatio, aut aliquid æquivalens absque ulla probatione, erimen est adhuc incertum, quodammodo occultum, suppetitque reo probabilis ratio illud celandi, objecta repellendi, & sic evadendi: ergo.

Dixi: Infamia, juridice probata, aut admiculata; quia simplex infamia, aut per communem informationem cognita, non probat, sed tantum locum tenet accusationis, aperiturque tantum viam ad inquirendum: quapropter non sufficit, ut Judex reum juridice interroget, sed debet esse vel admiculata aliquo teste minus idoneo, aut aliquibus indicibus non manifestis, vel probata juridice per duos testes omni exceptione majores, qui deponant jurati esse vocem publicam, a probis, & non malevolis, aut a conjecturis, atque indicibus verisimilibus ortam. Unde, si reus possit excipere contra testes, aut contra id, quod asserunt, non tenetur fateri crimen.

Indicia sunt circumstantiæ, aut signa, ex quibus prudenter judicari potest talem esse reum, commississe hoc crimen: & hæc debent etiam esse probata per duos testes juratos; item debent esse non levia, non remota, sed manifesta, seu, ut dicit S. Doctor, expressa; ita ut ex his vit prudens, & probus moveatur ad iudicandum verisimiliter de crimine, & criminis auctore. Itaque non sufficit, quod cadaver ad præsentiam alicujus emittat sanguinem, quod cadaver est æquivocum, & infortunatum: item non sufficit, quod Saga supernatet aquis; est enim id indicium superstitiosum, potestque demon hac via nocentem liberare, & innocentem calumniari. Esset autem indicium sufficiens, si quis accusatus, vel infamatus videretur e loco homicidii egrediens cultro, aut gladio evagitato, & eruentato. Item, si rixis assuetus, & minis antea usus, inventus sit cum armis circa locum, ubi commissum est crimen. Item, si communi suspicioni adjungatur fuga. Item, si quis se delicti auctorem facit coram viris fide dignis, qui illud jurati deponant; & alia plura, quæ, an sint sufficientia, vel non, judicio Judicis remittuntur.

Semiplena probatio est testimonium unius testis omni exceptione majoris, qui juratus, aut sub præcepto formalis deponat de visu, si crimen consistat in facto, vel de auditu, si consistat in verbis, ut blasphemia.

Hæc autem, nimirum vel infamiam probatam, seu admiculatam, vel indicia, vel semiplenam probationem debet Judex notificare reo, ipsique copiam informationis concedere, ut videat rem esse in eo statu, ut teneatur veritatem fateri: alioquin excusabitur ex ignorantia facti, nec tenetur in hoc credere Judici.

Quod si Judex dubitet, an juridice interroget, & agatur de sola punitione criminis, debet abstinere ab interrogatione; quia in dubio favendum est reo: secus, si agatur de bono communi, quia bonum commune debet præferri privato. Si autem ipse reus dubitet, non tenetur respondere, ut dicam infra, dum de reo. Neque potest Judex interrogare de alio crimine, de quo non est accusatus, vel infamatus. Utrum verò reum confessum, aut convictum possit Judex interrogare de complicibus? R. Quod, cum reus hic interrogetur non tam ut reus, quam ut testis, eodem modo resolvendum est de hac interrogatione, ac de inquisitione. Unde potest Judex interrogare generaliter, an sint complicēs, deinde qui sint. Specialiter autem de infamatis tantum, nisi in casibus, quos ex-

cepimus pro inquisitione speciali; consequenter reus non tenetur declarare nisi infamatos.

Dico 2. Reum juridice interrogatum, non confessum, nec convictum, in gravioribus causis potest regulariter Judex subijcere torturæ ad extorquendam veritatem. Patet conclusio, tum ex jure C. Illi, qui Causa 4. q. 3. & alibi, & ex praxi omnium Tribunalium; idque est rationi consentaneum, alioquin malefici, dum putarent, se non posse convinci per testes; impunè peccarent, ple-raque & gravissima crimina impunita manerent. Nec ob-est, quod interdum innocentes torquentur; non enim est in rebus humanis omnia incommoda vitari possunt, & si tortura non adhiberetur, graviora forent adhuc inconvenientia.

Dixi 1. Reum juridice interrogatum: ex quo liquet, pro tortura ad minus requiri ea, quæ requiruntur pro juridice interrogatione, scilicet vel infamiam juridice probatam, aut admiculatam, vel expressa indicia, vel semiplenam probationem: si tamen crimen aliter probari non possit: unde dixi 2. Nec confessum, nec convictum: quia, si reus esset confessus, aut convictus, non possit subijci torturæ, quia tortura non adhibetur ut punitio, sed ut subsidium in defectum probationum ad cognoscendam veritatem; & ideo, ubi constat de veritate, ut constare potest sive per confessionem rei, sive per depositionem testium, adhuc non potest tortura, nisi forte in illis locis, in quibus res quantumvis convictus non damnatur nisi proprio ore confessus. Dixi 3. In causis gravioribus, in quibus scilicet agatur de morte, mutilatione, aut trimebris: non in levioribus, alioquin reus pateretur ultra meritum culpæ. Dixi 4. Regulariter; quia aliqui torqueri prohibentur a Jure, ut senes, & impuberes ob debilitatem, prægnantes ob periculum abortus, viri illustres, & dignitate conspicii, Doctores, & eorum filii: excipie crimina jam plures, excepta læsæ Majestatis, proditoriis, & hæresibus.

Testis ut testis non potest torqueri: quia ut sic est sine culpa, tortura autem est grave supplicium. Potest autem, si habeat rationem rei: v. gr. Titius interfuit alicui negotio, & potest testari, recusat tamen; potest torqueri, quia censetur ex malitia nolle testari; ita Bannes. Ex quo inferes, reum posse torqueri ad revelandos complicēs, quos revelare tenetur.

Quod si Judex per torturam contra Juris ordinem adhibuit ab aliquo confessionem extorquetur, quamvis postea ratificet, non potest inde illum condemnare; quia prima confessio fuit irrita, utpotè per injuriam extorta, & consequenter ejus ratificatio, & ideo Judex inde illum condemnans pergerit in injuria primò illata.

Si petas, utrum semel tortus possit iterum torqueri? Respondent communiter Doctores, quod, si in tortura nihil fuerit confessus, non possit iterum torqueri, nisi sint gravissima indicia, vel nova supervenerint; quia ratione consistantiam censetur elisa indicia: quod si in tortura confessus fuerit, & extra negaverit, potest secundò & tertio torqueri; quia illa revocatio non sufficienter elidit indicia, & aliam nullus confiteretur extra torturam, si sciret se non amplius illi subficiendum. Ut tamen huic atroci supplicio prægi-gatur aliquis terminus, notant idem Doctores, reum non posse torqueri nisi ter, ita ut si tertio in tortura confessus, tertio extra illam revocaverit, debeat absolvi.

Dico 3. Judex in criminalibus non potest condemnare reum ad poenam ordinariam, nisi confessum, vel convictum per duos testes, irrefragabiles secundum ordinem Juris alioquin gravissime peccat, & tenetur ad restitutionem damnorum, tamquam injusta illorum causa. Patet 1. Ex Jure causa 2. q. 1. a. 1. ubi dicitur: Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut sponte confessum. Idem. c. seq. 2. Ex praxi communi Tribunalium. 3. Ratione; quia ut Judex possit condemnare reum ad poenam ordinariam, seu lege taxatam, debet ipsi certò constare, & quidem per probationes luce meridiana clariores, ut loquuntur Jura L. Sciant cuncti C. De probat. l. 4. tit. 19. ipsam admisisse crimen; atque sic certò constare non potest Judici, nisi reus sit confessus, aut convictus per duos testes irrefragabiles, aut aliquid æquivalens, puta, evidentiam facti; indicia enim quantumvis manifesta, & expressa non faciunt nisi præsumptionem, & verisimilitudinem, non certitudinem, nec probationem luce meridiana clariorem: ergo.

Dixi 1. Ad poenam ordinariam; quia, si probationes proximè accedant ad plenam convictionem, etsi non certò convincant, poterit Judex condemnare reum ad poenam ordinariam leviozem, si bonum commune ita requirit. Dixi 2. Per duos testes irrefragabiles; quia unus non sufficit

ad convictionem, ut dicam infra de testibus. Dixi 3. Secundum ordinem Juris; quia, si Judex præter ordinem Juris & per injuriam extorserit cognitionem criminis a reo, vel testibus, puta per dolum, per iniquam torturam, sine prævia accusatione, aut infamia &c. sententia foret injusta & nulla; quia tunc non procederet ex auctoritate publica.

Dico 4. In criminalibus Judex potest judicare secundum opinionem minus probabilem faventem reo. Sequitur ex precedente: hoc ipso enim quo jus accusati est probabilè, jus accusatoris non est omnino certum, nec luce meridiana clarius, proindeque damnari non debet accusatus. Et ita clamant ubique Jura: Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius, quam auctori. De reg. Jur. in 6. reg. 11. In obscuris minimum est sequendum. Ibid. Reg. 30. In penis benignior est interpretatio faciendâ, Ibid. R. 49. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt. L. Semper § 6. ff. De divers. reg. Favorabiliores rei potius quam actores habentur: L. Favorabiliores 167. Ibid.

Dico 5. In civilibus Judex non potest judicare secundum opinionem minus probabilem; sed tenetur judicare secundum opinionem, quæ omnibus attentis ipsi videtur probabilior, sive agatur de probabilitate juris, vel facti, est enim perinde. Ità nunc communiter. Prob. Respublica non contrahit Judicibus auctoritatem pro causis civilibus, nec litigantes se illis subijciunt, ut pro libitu cui voluerint, causas adjudicent, sed ea lege ac mente, ut dicant jus secundum id, quod æquius & verius, aut saltem verosimilius apparet: hic est sensus omnium, qui ideo Advocatos & Procuratores peritos & eloquentiores quærant, qui suum jus Judicibus verosimilius reddant, & ea ratione in suas partes flectant; atque Judex iudicandum secundum sententiam minus probabilem, relicta probabiliori, non dicit Jus secundum id, quod sibi æquius & verius, aut verosimilius apparet, quin e contra secundum id, quod minus verum, & minus verosimile apparet, & pro libitu ergo prævaricatur. Unde merito Innoc. XI. damnavit hæc proposita. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. Est 2. Latus de hæc materia, dum de probabilitate.

Sed quid, si Jura partium sint æquè probabilia? R. 1. Hanc causam videri metaphysicam: vix enim fieri potest, ut rebus omnibus attentis, perspicacibus, & sæpius perpensis, tam de jure, quam de facto, maneat absoluta paritas. Sed hoc supposito R. 2. Judicem non posse in gratiam unius potius quam alterius sententiam ferre, alioquin esset personarum acceptor; cum in hypotesi non sit ratio, cur uni potius quam alteri faveat. Unde Alexander VII. damnavit hæc proposita. Quanto litigantes habent pro se opinionem hæc probabilis, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda Sententia in favorem unius præ alio.

Quidam dicunt, Judicem in hoc casu debere rem partibus dividere pro rata dubii: sed, ultra quod in multis casibus res dividi non possit, non est hæc praxis Tribunalium nisi quoad expensas, nec id expectant litigantes a Judicibus; sed solent Judices in dubio, seu quando jura partium non sunt liquida, convocare partes ad concordiam, seu ut dicunt, ad accordandum; cui si consentiant, tunc locus est divisioni: si non consentiant, revertatur Judex ad examen instrumentorum litis, tam circa jus, quam circa factum; & si his diligentius discussis, aliqua major probabilitas affulgeat pro una parte, illi causam adjudicet; sic enim censetur voluisse partes, dum concordiam & divisionem recusarunt. Quod si, his non obstantibus, jura remaneant omnino æqualia (quod tamen, ut dixi, vix possibile est) Judex debet abstinere a judicio, aut saltem differre, donec veritas magis elucescat, monendo interim partes jura non liquere, ipsosque debere ultiores probationes adferre, si possint.

ARTICULUS VI

Utrum Sententia injusta valeat, & obliget?

Nota. Tripliciter Sententia potest esse injusta; ex animo proferentis; ex ordine Juris, & ex causa. Injusta ex animo proferentis est, cum, serrato jure partium & ordine Juris, Judex Sententiam profert non amore Justitiæ, sed vel odio, vel pretio, vel favore adversariorum inductus. Sententia hoc modo injusta, quamvis peccet Jure, valet & obligat, nec de illa est questio. Injusta ex ordine est, quando Judex profert Sententiam non servato ordine Juris, puta, sine accusatore, sine infamia præcedente, aut æquivalente, sine sufficiente probatione, vel extorta per vim, aut dolum veritate: & hæc est invali-

da, nec obligat; quia non procedit ex publica potestate. Qui tamen per talem Sententiam obtineret, quod verè suum est, non tenetur restituere, non quidem vi Sententiæ, sed quia non habet nisi quod suum est: sicut, si vi, vel fraude surripias quod tuum est, licet fortè pecces, quia auctoritate privata exegeris, quod deberes publice, non tamen teneris restituere. Neque de Sententia hoc modo injusta veritur hic questio.

Sententia injusta ex causa est, quando Judex condemnat alicui propter crimen, quod revera non admisit, aut alicui auferit quod verè suum erat, & confert alteri cujus non erat: & hæc Sententia, vel continet errorem apertum & intolerabilem, ut si quis damnetur propter rectè factum, vel præcipitur ipsi aliquid contra Legem naturalem, vel divinam, aut prohibeatur aliquid alterutra Legge præceptum; & hæc esse nullam, nec ullatenus obligatam, vel indubiam est: vel continet errorem occultum, in quo fundatur, ut si Judex secundum allegata & probata condemnat innocentem, aut re sua, vel jure suo spoliatur, sive interim Judex privatim noverit innocentiam, sive non. Et de ea quærimus, utrum sit valida & obliget.

Quidam distinguunt inter causas sæculares & Ecclesiasticas, ubi agitur de Beneficiis; & dicunt, Sententiam injustam ex causa in illis nullius esse roboris; valere autem in istis. Alii iterum distinguunt inter Sententias de causis beneficialibus: alia enim est juris declarativa, quam aliquid litigant de Beneficio, quod neuter adhuc possidet, adjudicatur uni; & hæc concedunt non valere; alia est privativa, qua quis in penam delicti probati, licet non admitti, privatur Beneficio, quod possidebat, & alteri confertur; & hæc volunt esse validam, atque obligare: contra quos omnes.

Dico: Omnis Sententia injusta ex causa, sive in causis Sæcularibus, sive Ecclesiasticis, sive sit declarativa, sive privativa, est nulla, nec per se obligat. Ità Cajetanus q. 70. a. 4. Sylvius eadem q. a. 5. Prob. 1. (Hic q. 60. 1. o. & q. 70. a. 4. ad 2.) Sententia est conclusio judicii, proinde si nullum iudicium, nulla est Sententia; atqui iudicium injustum non est iudicium: ergo Sententia injusta non est Sententia, & consequenter non obligat. Prob. min. Iudicium est definitio, seu determinatio ejus quod justum est: ergo iudicium injustum non est iudicium. Prob. 2. (Ibid. q. 67. art. 1. o.) Sententia est quedam Lex particularis in aliquo particulari facto; atqui Leges injuste non sunt Leges, nec habent vim obligandi: ergo. Confirm. ex principio communiter recepto apud Theologos & Jurisperitos, nimirum Legem & Sententiam fundatam in falsa presumptione non obligare; atqui Sententia injusta ex causa fundatur in falsa presumptione: ergo. Hæc porro rationes militent, ut patet, pro quacunque Sententia, sive in causis Sæcularibus, sive in Ecclesiasticis, sive sit declarativa, sive privativa.

Dixi: Nec per se obligat; quia per accidens posset quis illi adstringi, ratione scilicet scandali, quando injustitia non est manifesta, seu error, in quo fundatur, non est notus; tunc enim vel est appellandum, vel recurrendum ad superiorem, vel obediendum, eatenus saltem ut vitetur scandalum natum sequi ex reventia contra Sententiam, quæ communiter reputatur justa. Et hæc ratio ne C. Sententia 1. causa 11. q. 3. dicitur: Sententia Pastoris sive, justa, sive injusta fuerit, timenda est. Eadem ratione Ecclesia nupèr condemnavit in Quesnello hæc famosam proposita. ordine 91. Excommunicationis injuste meritis nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Etenim injustè excommunicatus, cujus excommunicationis injustitia lateret, non posset publice interesse sacro, aut aliis divinis officis propter scandalum posset tamèn secretò coram his solis, qui ejus innocentiam noscerent.

Dices 1. contra conclus. Injustè damnatus, si non appellat a Sententia, censetur illi consentire, & juri suo cedere juxta Reg. 43. Juris: Qui tacet, consentire videtur: ergo. R. N. Ant. & ad Regulam Juris dico, eam esse veram dumtaxat de eo, qui tenetur loqui; injustè autem damnatus non tenetur appellare.

Dices 2. Si vera sit Sententia nostra, maxime in causis Beneficialibus, sequuntur gravissima inconvenientia, nimirum, eos, qui reputantur legitimi ministri, non esse legitimos, & consequenter carere jurisdictione, eorumque acta, absolutiones, collationes, presentationes, &c. esse invalida: ergo. R. N. illationem: quia, ubi est titulus coloratus errore communi, quamvis non sint legitimi ministri, Ecclesia tamèn illis confert jurisdictionem ad singulos actus, ut dicam infra, & jam dixi supra.



Ex dictis colliges, quod, qui scienter per Sententiam sic injustam obtinet rem, vel Beneficium alterius, teneatur restituere cum omnibus expensis litis & fructibus etiam consumptis, neque possit unquam præscribere; quia est possessor malæ fidei. Si autem bona fide processit, statim ac cognoscit injustitiam Sententiæ, teneatur rem, vel Beneficium restituere, (si tamén durante bona fide non præscripsit) non autem expensas litis, neque fructus consumptos, nisi in quantum factus est ditor, quia fuit hucusque possessor bonæ fidei. Is verò, qui patitur hanc injustitiam, si aliter non possit se servare indemnem, potest uti compensatione occulta, servatis servandis.

## APPENDIX.

## De acceptatione munerum.

Quæritur, utrum Judex possit acceptare munera? Non est quæstio de justo stipendio, sive a Republica sive a partibus conferendo; id enim licet accipi, indubium est. Neque de muneribus, quæ conferuntur & acceptantur ex conducto pro ferenda Sententia justa, vel injusta, hæc esse illicita infra probabimus, dum de contractibus; sed de muneribus sponte, & pure gratuito oblatis ad captandam Judicis benevolentiam. R. Non licet Judici acceptare munera antè latam Sententiam. Prob. ex Jure: L. Plebischo ff. de officio Præsid. Libr. 1. tit. 18. dicitur: Plebischo continetur, ut ne quis Præsidium munus, donum caperet, nisi esculentum poculentumque, quod intèr dies proximos prodigatur. Idem L. Solent 16. tit. 26. & alibi. Et in Jure Canon. C. Statutum §. Insuper de Rescriptis in 6. l. 1. tit. 3. Insuper ut gratis, & cum omni puritate iudicium coram ipso procedat, nullum munus, vel quidquam aliud (nisi forte esculentum, vel poculentum, mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus consumi possit) recipere ab eisdem partibus qualitercumque præsumant.

Ratio est; quia munera nata sunt corrumpere Judices, & eos a veritate, atque justitia avertere, juxta illud Deuter. 16. Non accipies personam, nec munera, quia munera excæciant oculos sapientium, & mutant verba justorum, & illud Eccles. 20. Dona excæciant oculos iudicum, & quasi mutus, in ore avertit correptiones eorum. Ex quo inferunt quidam, Judicem teneri ante Sententiam latam munera accepta remittere; quia sunt ipsi periculum proximum prævaricationis: imò, si sit Judex Ecclesiasticus, etiam post latam Sententiam tenetur restituere, quantumvis remittant illi, qui donaverunt: ex dicto Cap. Statutum §. Si quid his verbis: Si quid autem contra constitutionem presentem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur; nulla eorum, quibus restitutum facta fuerit, remissione profutura eidem. Secus de Judice seculari: quia donatio liberalis, qualis hic supponitur, transfert dominium, nisi specialis constitutio obstat.

Dixi 1. Antè latam Sententiam; quia multis videtur munera accepta post latam Sententiam non inferre periculum subversionis, proindeque non esse prohibita. Verum, quia potuit moveri Judex intuitu retributionis, quam ab illo, puta ditore, potius quam ab alio sperabat, aut saltem possit inde moveri, ut in posterum in gratiam opulentiorum, a quibus major est spes munerum, iudicet lubricum valde reputo etiam post latam Sententiam munera acceptare. Dixi 2. Munera; quia munuscula, maxime in esculentis & poculentis, quæ brevi consumi possunt, non prohibentur etiam ante Sententiam, ut patet ex Juribus cit. quia non censentur sufficientia ad movendum animum Judicis; quia tamén aliquo usque inclinant, integris Judicibus vitanda consuevit.

Porrò, ubi non licet Judicibus acceptare munera, nec licet litigantibus offerre. Exciipiunt nonnulli, nisi offerenti certò constet de justitia suæ causæ, aut nisi offerat ad redimendam vexationem, puta, quia aliter justitiam obtinere nequit, modò tamén absit scandalum. Verum, quia familiare est litigantibus sibi ad blandiri, causasque suas quantumvis dubias pro certis habere, atque Judices licet integros tanquam morosos & negligentes inculpare; metuentium est, ne sub prætextu obtinendæ justitiæ ipsa pervertatur cum injuria proximi, & ideo hanc praxim alicui plenam consulere nolim.

## DIGRESSIO PRIMA HISTORICA.

## Utrum Debhora sit numeranda intèr Judices Israël.

Dico: Probabile est, Debhoram numerandam esse intèr Judices Israël. Prob. ex Scriptura Judic. 4. ubi dicitur: Erat autem Debhora Prophetissa uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore. Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, intèr Rama & Bethel in monte Ephraim ascendebantque ad eam filii Israël in omne iudicium.

Respondent Sententiæ contrariæ Patroni, Tostatus, Cornelius a Lapide, Estius, Tirinus, & alii, Debhoram Jus dixisse in Israël, non principatu, aut potestate judiciaria, sed voluntate populi, qui ad illam, ut ad arbitrium confluebat, eò quòd esset Prophetissa, & prudens. Sed contra: Verba Scripturæ sunt intelligenda in proprio & obvio sensu, si nihil inde sequatur absurdum; atque Scriptura dicit de Debhora, sicut de aliis Judicibus, quòd judicaverit populum, & quòd universi Israëlites ad ejus Tribunal causas detulerint; nec inde, si hæc verba proprio sensu intelligantur, sicut de aliis Judicibus, sequitur aliquid absurdum: ergo. Adde, quòd hæc Scripturæ verba in eodem, ac nos, sensu intelligantur SS. Patres Clemens Alex. L. 1. Stromat. S. Ambrosius L. 1. de viduis, S. Hieron. Ep. 10. ad Eulam, S. Aug. l. 28. de Civit. c. 15. & alii.

Dices 1. Antè bellum Chananeum Debhora non fuit propriè & auctoritate Judex in Israël; ejus enim principatum passim non fuissent Jabin, & Sisara, qui tyrannidem exercebant in Hebræos: post verò Tyrannos illos devictos Barac fuit Judex in Israël, cujus etiam non Debhoræ, meminit Apost. ad Hebræos 11. 2. Debhora cap. seq. se vocat matrem in Israël, non Principem, aut Dominam, quin imò semel, & iterum nominat Principes Israël. 3. Proprium iudicium erat in bello Ducem agere, quod non præstitit Debhora: ergo. R. ad 1. N. ant. pro 1. parte, & ad probat. dico, Jabin & Sisaram id, vel invitatos passos fuisse, Deo ita volente, vel ex economia dissimulasse: nec est; quòd tam levis conjectura nos impediatur, quin tam aperta Scripturæ verba in proprio eorum sensu cum Patribus intelligamus. Nego similiter 2. partem antecedentis: nihil enim repugnat fuisse simul duos Judices, sicut fuerunt simul duo Pontifices Sadoe & Abiathar, nec omnium iudicum meminit Apost. ad Hebræos. Potest etiam dici, quòd Debhora, quæ, Deo auctore Principatum ad tempus suscepit, ut Hebræos a servitute vindicaret, profligatis hostibus & pace reddita, a Principatu, & munere iudicandi abstinuit, & Baraco dumtaxat consilio adfuit. Ad 2. Debhora se vocat matrem ab amore, & sollicitudine boni publici, sicut Reges, & Imperatores plerique vocati sunt Patres populi: nominat autem Principes Israël, id est majores & illustriores, sicut ibidem nominat Reges, cum tamen certum sit non fuisse tunc Reges in Israël. Ad 3. si non fuit Debhora Dux belli, quia id primum decebat, fuit saltem belli auctor & sociæ, Ducemque constituit Barac.

## DIGRESSIO SECUNDA HISTORICA.

## Utrum iudicium Salomonis in fratrem Adoniam fuerit justum?

Adoniam, petentem sibi uxorem Abisag Sunamitidem, jussit Salomon interfici. 3. Reg. 2. Fuitne justum hoc Salomonis iudicium? Dico: Videtur, hoc Salomonis iudicium fuisse justum.

Prob. Adoniam, petens sibi in uxorem Abisag, quæ secundum probabiliorē Sententiam fuerat vera David patris sui uxor, licet intacta, contendebat eo dolo parare sibi viam ad thronum, ita quòd a prioris conspirationis consilio non destiterat, sed res novas cum Joab, & Abiathar moliretur. Cum enim Adoniam esset primogenitus, elegantiori forma præditus, populo non ingratus, & paulò antè Rex proclamatus, habereque in suis partibus Joab Ducem militiæ, & Abiathar Summ. Pontificem, si ad hæc accederent nuptiæ cum Abisag nupèr Regina, quæque erat populo ob venustatem & honestos mores admodum grata, facilis, ac prompta erat Adoniam via ad Regnum. Idque intendere Adoniam, probè intellexit Solomon perspicacissimo ingenio, aut fortè revelatione divina, unde respondens matri dixit: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniam? Postula ei & Regnum? ipse enim est frater meus major me, & habet Abiathar Sacerdotem

tem & Joab filium Sarvæ: ibid. ergo Adoniam tanquam læsæ Majestatis reum merito capite damnavit Salomon. Adde, quòd Scriptura nullibi improbet hoc Salomonis iudicium. Dices 1. Salomon condonaverat Adoniam conspirationem: ergo. 2. Adoniam, cum esset primogenitus, jus suum ad Regnum prosequatur. R. ad 1. Salomonem non condonasse Adoniam priorem conspirationem, quam vivente Davide fecerat, nisi conditionate: Si fuerit, inquit, vir bonus, non cadet ne ullus quidem capillus in terram; sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur. 3. Reg. 1. Invenit

autem Salomon malum in eo ex petitione Abisag. Ad. 2. R. Primogenitum tunc non habuisse jus ad Regnum, sed id pendere ex voluntate patris: unde Abias, licet esset tantum quartus intèr filios Roboam, illi tamen successit. Adde, quòd, quamvis Adoniam habuisset jus ad Regnum, illo fuerat merito privatus, quòd vivente patre regiam potestatem usurpasset. Insuper sciebat Adoniam, Salomonem esse constitutum Regem Dei voluntate: unde dixit Bethsabee: translatum est Regnum, & factum est frater mei: a Domino enim constitutum est et. 3. Reg. c. 2.

## DISSERTATIO XIII.

## DE INJUSTITIA ACCUSATORIS ET TESTIS.

Div. Thom. QQ. 68. &amp; 70.

## ARTICULUS I.

Utrum, &amp; quando homo teneatur, &amp; possit accusare?

Nota: Accusatio definitur: Delatio rei de crimine ad vindictam publicam, facta per eum, qui spondet se probaturum. Dicitur 1. Delatio rei de crimine; quia, si sit de interesse civili, non dicitur accusator, sed actor. Dicitur 2. Ad vindictam publicam; quia finis accusationis est per vindictam, seu punitionem publicam scelerum procurare bonum commune & quietem Reipublicæ, quatenus metu peccatorum populi deterretur a malo. Dicitur 3. Facta per eum, qui spondet se probaturum; & in hoc maxime accusatio differt a denuntiatione, ut jam dictum est.

Nota 2. De Jure communi sex conditiones requiruntur ad accusationem legitimam. 1. Ut sit in scriptis. 2. Ut exprimat dies & annus, quo intentatur. Hæc modo non requiruntur. 3. Ut exprimat nomina accusatoris & accusati. 4. Species delicti. 5. Locus & tempus delicti, saltem mensis & annus. 6. Inscriptio accusatoris, qua se obligat ad poenam talionis, si non probet. Et hæc etiam in pluribus locis nunc non est necessaria pro foro seculari; quia pluribus in locis poena talionis non est amplius in usu, ne propter eam homines ab accusando retrahantur. Notat tamén Pontas, adhuc vigere in Gallia. Alibi autem quamvis accusator deficiens in probatione non damnatur rigorosè ad poenam talionis, si tamén sit accusator calumnius, punitur poena minore ad arbitrium Judicis.

Nota 3. (Q. 68. a. 3. o. & in resp. ad arg.) Accusatio triplici modo redditur injusta, scilicet, calumnia, prævaricatione, & tergiversatione. Calumnia, cum quis accusando alteri falsum crimen imponit ex malitia, si enim ex justo errore, vel ex animi levitate accusaret, quia nimis facile credit, quod audivit, non est calumnia, sed temeritas. Prævaricatione, quando quis, postquam accusavit, fraudulenter retinet, quæ spectant ad probationem criminis, & frivolas rei excusationes admittit. Tergiversatione, quando totalitèr ab accusatione desistit, non qualitercumque, sed inordinatè; si enim adverteret in processu esse falsum id, de quo accusavit, aut Princeps aboleret accusationem, ab ea tunc tenetur desistere; & hoc non est tergiversari. Calumnia nocet reo, prævaricatione & tergiversatione nocet Reipublicæ impediendo punitionem peccatorum ipsi nocivorum; cujus tamén bonum maxime intenditur per accusationem.

Verum non ubique, nec promiscuè admittitur accusatio. Notat Lessius, quod in Regno Neapolitano non admittitur nisi ad suam & suorum injuriam vindicandam. Notat Pontas, quod in Gallia sit prohibita omnis accusatio ad vindictam publicam, nisi Procuratoribus generalibus & Fiscalibus; & quòd solum permittatur pro interesse civili: excipit crimina læsæ majestatis, & falsæ monetæ, in quibus quilibet potest accusare.

Dico 1. (Q. 68. a. 1. o.) Quando crimen alienum vergit immediatè in detrimentum Reipublicæ, teneatur homo ad accusandum, si probare possit, & non prohibetur aliunde accusare; si verò non vergat immediatè in detrimentum Reipublicæ, non tenetur per se loquendo. Prob. 1. pars. Unusquisque tenetur succurrere bono communi tanquam membrum suo corpori, & pars suo toti, quando periculatur & detrimentum patitur; atque illi succurritur per accusationem factam Judici, quatenus Judex puniendo publice crimina accusata continet metu poenæ criminosis in officio, sicut conservat atque procurat tranquillitatem & bonum Reipublicæ: ergo. Si dicas, hunc finem posse ob-

tineri per denuntiationem juridicam, proindeque non esse necessariam accusationem. R. quædam crimina posse esse tam subita, & tam occulta, ut non sufficeret denuntiatione, sed necessaria sit accusatio cum testibus, qui illam probent. Cæterum, ubi per denuntiationem juridicam potest æqualiter succurri bono communi, concedimus eam sufficere, nec esse necessariam accusationem: & fortè S. Th. ut hic advertunt Soto & Bannes, sub accusatione intellexit denuntiationem juridicam, tanquam imperfectum sub perfectio, vix enim intèr se differunt: sic ut infra q. 70. a. 1. ad 2. sub denuntiatione intelligit accusationem. Prob. 2. pars. Quando crimen non vergit in detrimentum Reipublicæ, sed alicujus privati tantum, ipse læsus potest cedere jure suo, sicut non tenetur accusare læsozem. Alterum autem non læsum nihil cogit accusare, cum crimen non sit contra bonum commune: ergo.

Dixi 1. Crimen alienum; quia, cum seipsam prodere inclinationi naturali nihil adversetur, nemo tenetur crimen proprium accusare. Undè Chrysost. in Hom. 31. in Ep. ad Hebr. cit. a. S. Th. q. seq. a. 1. in arg. s. c. dicit: Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses. Excipe tamen, nisi fortè accusatio tui foret necessaria ad reparandum æquale, aut majus damnum, quod alteri intulisses. Hinc inferunt Theologi, te non teneri accusare complice tuum: vix enim fieri potest, quòd accusando complice tuum non teipsum prodas, cum iste complex juridicè interrogatus tenebitur se fati complice. Item probabiliter inferunt, neminem teneri ad accusandum, aut denuntiandum Patrem, Matrem, Filios, Uxorem, quia ibi censentur una & eadem persona. Item neque si ex accusatoris, ne, aut denuntiationis imminet tibi grave damnum. Excipe tamén, nisi gravis & urgens Reipublicæ necessitas, quæ tuo, aut tuorum damno merito præferri debeat, accusationem, aut denuntiationem exigat.

Dixi 2. Quando vergit immediatè in detrimentum Reipublicæ: quia non sufficit, quòd vergat mediatè in detrimentum Reipublicæ; cum enim omne crimen sit in detrimentum alicujus, & hoc ipso sit mediatè in detrimentum totius, quia pars est totius; sequeretur, quòd nullum esset crimen, quòd non deberet accusari, quòd nemo admittit. Requiritur ergo, quòd sit immediatè & directè coprà bonum commune, ita quòd bonum commune sit proximum & immediatum obiectum, quòd illis criminibus expugnat & conturbatur. Hujusmodi sunt hæresis, proditio civitatis, compilatio ararū publicæ, crimen læsæ Majestatis, & falsæ monetæ, atrocina per vias publicas, & similia. Et hæc non solum quidem committenda, id enim per se non respicit accusatio, sed etiam commissa, quia accusator per se respicit vindictam, seu punitionem, & per punitionem bonum commune, quatenus metu poenæ deterret a malo nocivo Reipublicæ: puniitio autem non debetur criminibus committendis, sed commissis. Quòd si tamén ex crimine jam commisso nullum ulterius damnum sit rimendum, puta, quia est occultum, auctor certò emendatus, ad omnem reparationem promptus, neque ullum est periculum quòd ipse, vel aliter ejus exemplo in idem incidat, ita quòd non multum intersit Reipublicæ illud puniri, videtur quòd in tali casu accusatio non esset necessariò faciendæ.

Dixi 3. (Ib.) Si probare possit; quia nemo tenetur ad hoc, quòd non potest debito modo perficere. Neque solum non tenetur, sed nec licitè potest tunc accusare;